DE

S. ISAACI NINIVITAE

VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA

ACCEDUNT

EJUDEM ISAACI TRES INTEGRI SERMONES

QUOS E CODICIBUS SYRIACIS MUSAEI BRITANNICI DESCRIPSIT, LATINITATE DONAVIT, NOTIS INSTRUXIT ET, COLLATIONE AD GRAECAM VERSIONEM FACTA, NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACIT

I. B. CHABOT
S. TH. DOCTOR.

PARIS
ERNEST LEROUX, ÉDITEUR,
LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ ASIATIQUE
28, RUE BONAPARTE, 28.
1892.

DE S. ISAACI NINIVITAE

VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA

Lovanii. — LEFEVER F. & S. Typographi.

DE

S. ISAACI NINIVITAE

VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA

ACCEDUNT

EJUDEM ISAACI TRES INTEGRI SERMONES

QUOS E CODICIBUS SYRIACIS MUSAEI BRITANNICI DESCRIPSIT,
LATINITATE DONAVIT, NOTIS INSTRUXIT
ET, COLLATIONE AD GRAECAM VERSIONEM FACTA,
NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACIT

I. B. CHABOT
S. TH. DOCTOR.

PARIS
ERNEST LEROUX, ÉDITEUR,
LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ ASIATIQUE
28, RUE BONAPARTE, 28.
1892.

ILLVSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

GVILLIELMO · RENATO · MEIGNAN

ARCHIEPISCOPO · TVRONENSI

SOLIO · PONTIFICIO · ASSISTENTI

SACRAE · THEOLOGIAE · DOCTORI

ORDINIS · GALL. · LEGION. · HONOR. · DECVRIONI

PRAESVLI

SACRARVM · SCRIPTVRARVM · PERITISSIMO

STVDIORVM · INSTAVRATORI · FAVSTISSIMO

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · DOCVMENTVM

INDEX

PARS PRIOR.

DE ISAACI NINIVITAE VITA ET SCRIPTIS.

Caput I.

Auctoris vita, aetas, orthodoxia et cultus.

Caput II.

De Isaaci Ninivitae scriptis.

PARS POSTERIOR.

DE ISAACI NINIVITAE ASCETICA DOCTRINA.

APPENDIX.

ISAACI SEMONES INEDITI TRES.

PRAEFATIO.

Dissertationem conscripturus ad summos honores in sacra theologia obtinendos existimavi me rem facturum et doctis haud ingratam et incremento disciplinarum theologicarum haud inutilem, si loco alicujus scholasticae disquisitionis quoddam venerabile antiquitatis christianae documentum e pulvere bibliothecarum eruerem atque in publicam lucem proferrem.

Cui proposito adimplendo nulla aptiorem syriaca se offerebat litteratura.

Praeter enim graecam et hebraicam linguam quae non modo utiles sed omnino necessariae sunt theologo, nulla invenitur ei utilior syriaca, ore Christi sacrata, quae arctius quam ceterae cum disciplinis theologicis connexa est. Primum quidem propter commoda et subsidia quae Sacrae Scripturae studio affert; tum philologica ob suam cum hebraica dialecto affinitatem; tum exegetica: sive in antiquissima versione librorum sacrorum, sive in eximiis commentariis Syrorum interpretum. Deinde ob magna incrementa quae ex ea jam dudum accepit et in dies accipere pergit illa pars scientiae sacrae quae Patrologiae nomine designari consuevit: multa enim et pretiosa documenta Scriptorum Graecorum, quae in primigenio idiomate deperdita sunt, in translationibus feliciter nobis servavit syriaca litteratura quae jam ex proprio fonte tot et tanta monumenta, maxime ecclesiastica, produxit ut de historia aut disciplina Ecclesiae per decem priora saecula scribere nemo possit quin aliquo modo Syrorum Scriptorum notitiam acquisierit.

Sub hoc duplici respectu utilitas linguae syriacae ad theologiam quam vocant positivam spectat. Ne tamen reputes eam

a Scholastica esse penitus alienam. Praeter enim quod Syri theologi, longe ante Damascenum, quem immerito patrem Scholasticae faciunt nostrates, dialectica methodo disciplinam sacram tractare solebant ; mirum est quot subsidia e libris Syrorum liturgicis erui possint ad illustrandam theologiam sacramentalem et ad elucidandas aut enodandas varias quaestiones diu et acriter inter doctores in scholis disputatas de materia et forma sacramentorum.

Quidquid igitur ad hanc litteraturam pertinet vere ad theologiam referri potest.

Quare, probante sacra facultate theologica, de aliquo Syro scriptore disserere consilium inivi. Cur autem Isaacum Ninivitam prae ceteris elegerim paucis accipe.

Dum mecum haec recogitabam, legens operum syriacorum quae hucusque in lucem prodierunt, perlongum catalogum (1) asceticos scriptores fere penitus neglectos fuisse animadverti. Cum autem rei causam, quae (dein propria experientia compertum habui) alia esse non potest nisi summae difficultates in hisce scriptis occurrentes, ignorabam, statim, tirocinii imperitia, ad quoddam asceticum opus conatus meos convertere statui.

Tres autem praecipui auctores mihi occurrebant nempe : Johannes Apameensis (2), Johannes Saba (3) et Isaacus Ninivita.

(1) Catalogum operum syriacorum quae hucusque in lucem prodierunt fere completum dedit E. Nestle. *Syrische grammatik mit litteratur*. Berolini 1888.

(2) « Johannes ex Apamea Coelesyriae urbe oriundus, in quodam ex celiberrimis illius tractus coenobiis quae ad Orontem fluvium frequentissima erant, religiosam vitam duxit circa sextum saeculum. » J. S. Assemanus, *Bibl. Orient.* I, 430. Iste Johannes saepe, apud suos, vocatur κατ' ἐξοχήν *Monachus*.

(3) Johannes monachus gente Syrus, in urbe Ninive natus, qui patrio sermone ܣܒܐ ܩܕܝܫܐ *Sanctus Saba*, id est, *Senex*, vulgo appellatur, in monasterio ܕܝܠܝܬܐ *Dilaita*, quod trans Tigrim situm est, asceticam vitam coluit, circa medium saeculum sextum ». J. S. Assemanus, *Bibl. Orient.* I, 433.

Istorum opera postquam per analysin in Bibliotheca Orientali cl. J. S. Assemani (1) perlegissem, inter Sabam et Ninivitam dubius haesi. Hujus vero historia edoctus eum magnam suae vitae partem in aliquo Aegypti monasterio egisse, spes mihi affulsit inveniendi in ejus operibus aliquid unde tot ineptias recentiori tempore adversus aegyptiacos monachos non minus inscite quam astute prolatas refellere possem ; et hanc spem fovebant plurium sermonum inscriptiones ex quibus auctorem quae ad practicam vitam spectant tractare suspicari licebat. Rem aliter se habere et omnia hujus viri scripta theoretica esse ipsa codicum lectione tardius novi.

Nec nullius ponderis fuit in mea determinatione magna fama Isaaci apud suos, atque existentia versionum ejus operum graecae, arabicae, ethiopicae, latinaeque ; unde apparebat ejus scripta summo pretio monachis cujusvis loci et temporis habita fuisse.

Hanc bonam existimationem amplissimae laudes quibus viri optimae notae et librum et auctorem extulerunt satis confirmabant.

Praetermitto laudatoria epitheta quae ejus nomini adduntur syriacis libris ubi vocatur : « *Maximus sapientum* », « *Vir magnus et praestans* », « *Pius, praestans, spiritualis et sanctus perfectus* », « *Magister et Doctor omnium monachorum portusque salutis universorum* », etc.

Sed pari laude eum celebrant exteri.

In pluribus codicibus, quibus servatur operum Isaaci graeca versio, huic praefigitur quaedam *de silentio et vita solitaria* homilia (2) cujus auctor, inter alia, de Ninivita, quem celeberrimis inter monachos comparat scribit (3) :

(1) B. O. t. I. pag. 430 sqq. ; 439, sqq ; 435, seqq.

(2) Istam homiliam a quodam monacho basiliano compositam fuisse deprehendo ex verbis quibus auctor circa finem tanquam Isaaci laudem profert quod ejus doctrina plane conveniat cum mirabili doctrina « *patris nostri Basilii.* » — Ejus inscriptio est : περὶ σιωπῆς καὶ ἡσυχίας καὶ βίου ἠρέμου του συνίστασθαι δυναμένου πρὸ παντός

Μέγιστος ἐστιν, ὦ ἀδελφοί, ὁ πανίερος οὗτος ἀνὴρ, οὐ μόνῳ νοήματι καὶ φρωνήματι, ἀλλὰ κἂν τῷ βίῳ φημὶ τούτου, τῷ διδασκαλικῷ τε καὶ σωτηρίῳ κἂν ἐσχάτοις καιροῖς πεφανέρωται πολλῷ ὕστερον μετὰ τοὺς ἀρχῆθεν πρώτους ἐκείνους λέγω ὁσίους πατέρας ἡμῶν τοὺς μεγάλους, οἷον τοὺς περὶ Ἀντώνιον τὸν παγκόσμιον, καὶ Ἀρσένιον, καὶ Ἀμμώνιον, καὶ Παλάμωνα, καὶ Παχώμιον, καὶ Παφνούτιον. Πλὴν ἐι καὶ τῷ χρόνῳ τούτων κατὰ πολὺ ὕστερος ἐγεγόνει, ἀλλ'οὐ μὴν καὶ τῷ τρόπῳ αὐτοῦ ἤ τῷ βίῳ, μέτοχος οἷα ὑπάρχων λόγου ἐμπράκτου καὶ θεοφωτίστου, καὶ βίου θεοκυβερνήτου καὶ ἐλλογίμου · ἀπαράμιλλος γὰρ ὡς ἡ ἀλήθεια παριστᾶ γινώσκεται ὁ ἰσάγγελος, πανσύνετος, πάνσοφος, πᾶσαν ἄκρως γραφὴν ἐπιστάμενος παλαιὰν καὶ καινὴν καὶ τὴν θυράθεν, ὡς τοῖς νοῦν ἔχουσι παριστῶσι τὰ τούτου συγγράμματα καὶ διδάγματα· ἅπερ δὴ προφθάσας κατόρθωσιν ὁ σώφρων καὶ πάναγνος, ὁ πραότατος καὶ φιλάδελφος, καὶ φιλόξενος, καὶ φιλόπτωχος, ὁ τῶν ἐγκρατῶν κανών, ὁ ἀκρότατος καὶ τῆς ἡσυχίας διδάσκαλος, Ἰσαὰκ ὁ τρισμέγιστος καὶ ἀοίδημος, ὁ πονητικώτατος ἀσκητὴς καὶ ἀναχωρητὴς, ὁ φιλέρημος, ὁ τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὰ ἐν κόσμῳ καὶ πατρίδα αὐτὴν καί συγγένειαν καὶ γεννήτορας καὶ σῶμα καὶ

ἀπὸ ἐποχῆς γλῶττης καὶ πραείας καρδίας. ἐν ᾧ καὶ μικρὸς ἔπαινος ὡς ἀπὸ ἰδιωτικῶν χειλεῶν προφερόμενος τῷ ὁσίῳ πατρὶ Ἰσαὰκ τῷ συρῷ.

Non occurrit ista homilia in cod. Parisiensi 693 (Suppl. grec.) qui inter codices versionem graecam Isaaci continentes antiquissimus est et ad finem saeculi VIII referendus. Hac tamen epocha multo recentior non est. In modo dicendi nonnullas similitudines c[illegible] cum *Catechesibus* S. Theodori Studitae, atque in ea observatur [illegible]ia dispositio S. Sophronio oratoribusque VIII et IX saeculi valde familiaris ac quasi regula, qua periodus semper duplici dactylo tonum ferenté clauditur : ἡσυχ/ίας δι/δάσκαλος, — διὰ χρισ/τὸν ἀρνη/σάμενος, — κα/λῶς ἐπίσ/τάμεθα, — ὁ/σίου συγ/γράμματα, — καλ/λίστως ὑ/πέφηνε, — τρα/νῶς ἐμυ/χάρισε, — κρα/ρότως ἐ/φαύλισε, — δόλως ὑ/πέκρυψε, κ. τ. λ. — Hac de re cf. Bouvy : *Poètes et Mélodes.* Nimes 1886. p. 195 sqq., 361 sqq.

(3) Cod. graec. Bibl. Nation. Parisiensis 1076, fol. 8*a*. — Quotiescumque Isaaci graecam versionem allegavi in decursu Dissertationis textum desumpsi ex illo codice.

φύσιν ἰδίαν καὶ θέλημα ἅπαν καὶ αὐτὴν τὴν κατὰ ἄνθρωπον αἴσθησιν ὥσπερ ἄλλος οὐδεὶς διὰ Χριστὸν ἀρνησάμενος (1).

Pergit laudando ejus vivendi modum et scripta de quibus (2) : Ταῦτα τοίνυν, ait, ἅπαντα καὶ τὰ τούτων πλείονα ἕτερα, πάντες ἀκριβῶς γινώσκομεν καὶ καλῶς ἐπιστάμεθα, καὶ οἱ αἱρούμενοι ἀναγινώσκειν τὰ θεῖα τούτου τοῦ ὁσίου συγγράμματα, καὶ πράττειν σπεύδομεν ὡς τὰ ἀναγινωσκόμενα ὑποτίθενται · ἀπαραχάρακτος γὰρ ἡ ἀλήθεια ἐν πᾶσι τούτου τοῖς πανσόφοις συγγράμμασι καθορᾶται κἂν ποικίλην ἔχωσι τὴν κατήχησιν καὶ τὴν παίδευσιν καὶ νουθέτησιν καὶ τὴν αἴσκησιν. Ὅτι καὶ τῆς ἡσυχίας ἅπαν τὸ κάλλος ἀρχῆθεν ἕως τέλους καλλίστως ὑπέφηνε, καὶ τῆς σιωπῆς τὸ μέγα κλέος τρανῶς ἐμακάρισε καὶ τοὺς τόπους καὶ τρόπους καὶ τὰς αἰτίας τῶν ἐν τῷ μέσῳ τῆς ἀσκήσεως ὀλίσθων ἀραρότως ἐφαύλισε, καὶ ὅθεν καὶ ὅπως συμβαίνουσι καὶ πῶς τὴν ἴασιν δέχονται καὶ πῶς καλῶς θεραπεύονται τὰ ψυχικὰ παντοίως νοσήματα οὐ δόλως ἀπέκρυψε, καὶ οὐ ταῦτα μόνα καλῶς ἐξεπαίδευσε καὶ ἄγαν

(1) Id est : « *Permagnus est, o fratres, sanctissimus iste vir, non solum sententiis et cogitatis sed etiam vita, inquam, sua exemplis salutaribus plena. Etsi enim novissimis temporibus apparuerit longe post illos qui ab initio (floruerunt) sanctos et magnos, aio, patres quales viri fuerunt circa Antonium modestissimum, Arsenium, Ammonium, Palamona, Pachomium, Paphnutium, tempore quidem posterior extitit non vero moribus aut vita ; particeps similiter sermonis efficacis divineque relucentis et divinitus gubernatae vitae laudeque dignae. Incomparabilis enim, ut veritas docet, iste homo angelicus cognoscitur, prudentissimus, omnem scripturam accurate callens antiquam novamque et etiam eam quae foris est (i. e. profanam), ut prudentibus demonstrant ejus scripta et documenta ; quae quidem praeveniens correctionem (scripsit) sapiens, castissimus, sanctissimus, mitissimus, fratrum, peregrinorum et pauperum amantissimus, continentium norma, perfectionis et silentii exemplar Isaac ter magnus et laude dignus, laboriosissimus asceta et anachoreta, eremi cultor, qui totum mundum et quae in mundo sunt : patriam ipsam et cognationem et parentes, et corpus et naturam propriam, et cunctam voluntatem, et ipsum humanum sensum, sicut nemo alius propter Christum abnegavit.* »

(2) Cod. 1076, fol. 9*b*.

ἀρίστως ἀλλὰ καὶ τά τούτων ἄλλα κρύφια πράγματα ἀσκετικά τε φήμι καὶ θεωρετικὰ, ὑψηλότερα τε καὶ μείζονα καὶ πολλοῖς ἀθεώρητα, αὐτὸς οὗτος ὁ ὅσιος μεθόδοις ξέναις καὶ λογίοις πανσόφοις τοῖς μαθεῖν ποθοῦσι γνωρίσαι ἐσπούδασε (1).

Jam antea, celebratis virtutibus boni monachi, scripserat (2) : Ὁποῖος δὴ πεφανέρωται καὶ ἐγνώρισται καὶ ὁ Ἰσαάκ οὑτοσὶ ὁ μακάριος ὁ τὴν ἱερὰν καὶ παναγίαν βίβλον ταύτην σωτηριωδῶς συνταξάμενος πόνῳ καὶ μόχθῳ πολλῷ, ὁ θεοκινήτως τὴν ὁδὸν τῆς ἡσυχίας ὑποδείξας ὡς δεῖ τοῖς ποθοῦσι καὶ θέλουσι· διὸ δὴ προτρέχων παρακαλῶ μή τις τῶν ἁπάντων τοίς πανσόφοις τούτου τοῦ ὁσίου συγγράμμασιν ἀμελῶς ἐγκυπτέτω, μὴ παροδικῶς ἀναγινωσκήτω ταῦτα μηδείς· μελλίῤῥητα γάρ ἐισὶ καὶ σωτηρία τὰ τούτου πάντα διδάγματα, καὶ σοφίας θείας πεπληρωμένα καὶ χάριτος, ὄντως πολὺς ἐν συνέσει καὶ ἁγιότητι γέγονεν ὁ ἀξιάγαστος οὗτος ἀνὴρ καὶ θεσπέσιος, κἂν τὰ κατ' αὐτὸν ὅπως ἔσχεν ἀρχῆθεν ἄξιον ἀφ' ἡμων τῶν ἀναξίων ἅπαντα ἀπεκρύβησαν (3).

(1) Id est : « *Haec omnia et alia quaedam his majora explorata et pulchre nota habemus omnes nos (imprimis) qui constituimus legere divinos hujus sancti libros et ita agendae vitae curam intendimus, sicut ea quae legimus proposuerunt ; non enim adulterina apparet veritas in omnibus ejus sapientissimis libris etsi variam continent doctrinam, disciplinam, admonitionem et ascesim. Solitudinis namque omne decus ab initio ad finem perbelle demonstravit et silentii magnam laudem aperte beatificavit ; occasiones, modos et causas lapsuum in medio asceseos apte extenuavit (quasi ad nihilum redegit) ; qua ratione contingunt, quo modo sanationem accipiunt, quomodo pulchre curantur animarum quicumque defectus non fraudulenter abscondidit. Non haec tantum pulchre edocuit et quam optime, sed etiam istarum rerum abscondita mysteria sive asceseos, sive contemplationis theoretica profundissima et optima multis invisibilia hic sanctus novis methodis sermonibusque sapientissimis cuique homini discere cupienti patefacere enixus est.* »

(2) Cod. 1076, fol. 7*a*.

(3) Id est : « *Hujusmodi quidem apparuit et agnoscitur Isaac ille beatus qui hunc sacrum et sanctissimum librum salubriter coordinavit labore et sudore multo, quique spirante Deo viam solitudinis convenienter cupientibus manifestavit. Quare enixe*

Poëta incertus auctor graeci carminis « Εἰς τοὺς λόγους τῶν ἁγίων πατέρων » quod vulgavit Amadutius (1), postquam laudavit « *librum Cassiani cassiam spirantis* » pergit :

v. 29 Πῶς δὲ παρήσω τὴν Ἰσαακ τοῦ Σύρου ;
Ἡσαΐου τε τὴν θεόπνευστον βίβλον ;
Ὧν ἡ μέν οἶδεν ἡσύχῳ καταστάσει
Τὸν νοῦν πτερῶσαι πρὸς προσευχὰς ἐμπύρους.
Ἡσαΐου γραφὴ δὲ πρὸς κοινωνίαν
Μετ' εὐσταθείας ἠθικωτάτης ἄγειν,
Ἣν πρακτικῶς δείκνυσιν ἐῤῥυθμισμένην (2).

Quidam autem monachus Tacha nomine, qui anno MCCCCLXVIII descripsit librum Isaaci in codice hodiedum in Bibl. Barberiana asservato (3) hosce versus in honorem operis concinendo laborem absolvebat :

Ἡ βίβλος ἴδε πέφυκε θαῦμα μέγα·
φέρει γὰρ ἔνδον ὑψηλῆς πολιτείας
ἀναχωρητῶν ὁδὸν τὴν τεθλιμμένην,
καὶ πῶς ἑκάστη ἀρετῶν καθορθοῦται·
τὸν μονάζοντα διδάσκει θαυμασίως
ὡς ἀπὸ γραμμῆς ἀρχομένης πανσόφως·

*

rogo ne quis sapientissimis hujus sancti scriptis negligenter incumbat vel transitorie tantum aliquis legat; melliflua enim sunt et salutaria omnia ejus didagmata sapientiaeque divinae plena et charitatis. Et vere magnus sapientia et sanctitate exstitit homo ille admirabilis et divinus, quamvis ea quae ab initio vitae gessit vir omni memoria dignus, nos utpote indignos omnino latuerint. »

(1) *Anecdota litteraria*, Romae, 1773, t. II, p. 23. — Istud carmen desumitur ex cod. Veneto saec. XIV. Auctor tamen ante hoc tempus vixisse censendus est.

(2) Id est : « *Quomodo autem praeterire potero Isaaci Syri — et Isaiae abbatis divinos libros? — quorum ille quidem novit quieto e statu — mentem in altum tollere ad fervidas preces fundendas, — Isaiae vero scripta ad vitae societatem — stabilem ac bene moratam alliciunt — quam practice ostendunt recte informatam.* »

(3) Cf. Cozza. Praefat. ad tom. VIII. *Novae Biblioth.* Card. Maij.

ἧς πᾶς μονάζων κατέχων διακρίσει
οὐκ ἐμπεσεῖται τῆς εὐθυμόλου τρίβου,
ἀνάγων τ' αὖθις πρὸς θεωρίας ὕψος
τὸν προσεχόντως κατεχόμενον ταύτης
ἀλλ' ἔιπης δ'αὖθις ἔκ τινος ἐπονήθη,
καὶ πῶς ἀκριβῶς διδάσκεις πανσόφως
καὶ τίς ἡ κλῆσις τοῦ ταύτην ἐκτεθέντος ;
ἐγὼ σοι φράσω, εἴπερ οὐκ οἶδας φίλε.
ἔγνως τὸν Σύρον Ἰσαὰκ δε τὴν κλῆσιν
τὸν ἐν μονασταῖς ἄριστον ἐποφθέντα.
τοὺτου σύγγραμμα ἡ βίβλος ἴδε πέλει
ἀρχιερατεύσαντος ψήφῳ τῇ θείᾳ
τῶν Νινευητῶν πόλει τῇ θαυμασίᾳ
μεταβληθεῖσα πρὸς ἡμετέραν γνῶσιν
ὑπὸ πατέρων θαυμασίων μεγάλων
Πατρικίου τε καὶ Ἀβρααμίου κλήσει
ἀναχωρητῶν καὶ φιλοσόφων μέγα
ἐν τῇ μονίᾳ τοῦ θαυμασίου Σάββα.
ἔγνωκας λοιπὸν τὰ πάντα εἴπερ θέλεις·
καὶ νυν μόχθησον, εἰς ἅπερ σοι διδάσκει,
ὅπως τυχείας οὐρανῶν βασιλείας
ἐξευμενιζόμενος ἀεὶ τὸ θεῖον,
καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ τοῦ Τάχα μονοτρόπου (1).

(1) Id est : *Viden ut liber iste magnum sit miraculum ; nam arduam viam complectitur sublimis conversationis anachoretarum et quomodo quaeque virtus sit dirigenda ; et mirabiliter sapienterque ascetam edocet veluti a primis stadii carceribus. A recto tramite haud excidet quiquis ex ascetis huic prudenter insistat et ad excelsam contemplationem adducat qui haec attente sequitur. At rursus, inquies, quis auctor ? et quomodo tam diligenter edoceat ? et qui hunc vulgavit quomodo appellatur ? Amice, haec a me accipe, si ignoras : Nosce syrum, nomine* Isaac qui maximus visus est inter ascetas. *En liber iste opus est hujus qui Dei nutu egit pontificem in mirabili Ninivitarum urbe ; translatus est autem ad nostram cognitionem ab admirandis magnisque patribus qui vocabantur Patricius et Abrahamius*

Recentiori adhuc tempore P. Possinus (1) qui quoddam Isaaci fragmentum graecum vulgavit scripsit : « Memini alias in Bibliotheca Vaticana me vidisse *multa et praeclara Isaaci Syri opera ;* quae multum profutura si proderent, interpretis et editoris operam implorant. » Et recentissime P. Zingerle (2) optabat, adhibito versionis graecae auxilio « textum hujus summae contemplationis viri completum et correctum in lucem edi » ; idem votum cum ipsos syriacos codices legisset, exprimebat G. Bickell (3).

Nemo igitur diffidet causas plusquam sufficientes adfuisse quae ad evolvendos tantis laudibus celebratos libros me impellerint ; et si non quantum exspectare licebat tantum retuli fructum, spero tamen, me operam et oleum non omnino perdidisse, etiamsi nihil aliud fecerim quam in memoriam revocare virum qui omnibus suae aetatis hominibus et admirationi et imitationi fuit.

Sed ad Dissertationem redeamus.

Dividitur opella in duas partes quarum prior duo complectitur capita : primo quae ad Auctoris vitam, tempus, orthodoxiam cultumque spectant expendam ; altero autem quae ad ejus scriptorum numerum, versiones, stylum, momentum pertinent tractabo.

Pars posterior asceticam Isaaci doctrinam exhibebit : proponetur primum quidam ejus systematis conspectus, qui fusius dein evolvetur.

Huic parti tres integros subjeci sermones quos ita selegi ut simul in confirmationem eorum quae decursu Dissertationis

anachoretis et sanctae philosophiae valde studiosis in asceterio Sabae admirabilis. — Nosti ergo omnia si quid velis ; *nunc adlabora in iis quae te docet ut coeleste regnum sortiaris, propitiam semper deprecans divinitatem etiam pro me Tacha monacho.*

(1) *Thesausus asceticorum.* Paris 1684. praef.

(2) *Monumenta syriaca.* Oeniponti, 1869. T. 1 p. IV.

(3) *Bibl. der Kirchenväter.* Kempten 1876, fasc. 204 : « Wäre sehr zu wünschen dass ein im inneren Leben erfahrener Geistesmann uns mit einer Ausgabe seines ganzen Werkes beschenken möge. » (p. 290).

dixerim accedant, varios dicendi modos ab Isaaco usurpatos manifestent et, instituta comparatione, judicare permittant quam imperfecta sit antiqua versio latina.

Quod vero ad meam attinet, nulla sermonis elegantia quaesita, me interpretem fidelissimum esse volui.

Talis est igitur Dissertatio mea in qua si, lector benevole, quid minus recte dictum inveneris tironis imperitiae benigne concedas, rogo ; si quid vero boni tibi occurrerit, ad doctissimos magistros meos potissimum referas, volo. Quibus et ego hic grati animi testimonium quin publice proferam non possum. Atque imprimis vigilantissimo praesuli cujus nomen inscribitur primo folio hujus voluminis cujusque pietatem, eruditionem, sapientiam, scientiam celebrare supervacaneum foret cum omnibus praeclara ejus opera nota sint ; paterna quidem sollicitudine studia mea continuo fovit animumque verbo addidit et exemplo, cum ipse ad imitationem S. Martini cujus insignem illustrat cathedram post jam absolutos labores adhuc in dies pro bono Ecclesiae scientiarumque incremento laborare non recusat.

Gratiae pariter sint eruditissimo viro quem hic magistrum in syriacis nactus sum, Ill. J. Th. Lamy Sacrae Scripturae hebraicaeque et syriacae linguae in hac Universitate professori qui, qua est benevolentia, me Lovanii advenientem excepit, commorantem prosequutus est, abeuntem, spero, consiliis juvare non desinet.

Gratiae denique omnibus viris doctissimis quorum ope aut consilio usus sum quique perhumaniter in hac adornanda Dissertatione quovis modo me adjuvarunt (1).

Deus eis retribuat.

Scribebam Parisiis, Kal. Junii MDCCCXCII.

(1) Inter quos nominare debeo Dom. R. Graffin ling. syriacae in Instituto Catholico Parisiensi prof., qui amplae bibliothecae quam ad edendum immensae molis opus, nempe *Patrologiam Syriacam*, sibi comparavit mihi copiam amice fecit.

PARS PRIOR.

DE ISAACI NINIVITAE VITA ET SCRIPTIS.

CAPUT PRIMUM.

AUCTORIS VITA, AETAS, ORTHODOXIA & CULTUS.

§ I.

ISAACI VITA.

I. — Quamvis Isaaci Ninivitae nomen pluribus celebratum fuerit; quamvis ejus opera omnibus semper acceptissima fuerint atque multoties descripta; quamvis etiam summa cum diligentia arduoque labore, antiquitatis graecae, syriacae, arabicae, copticae, aethiopicae monumenta in quibus de hujus auctoris gestis aliquid innui conjicere licebat, edita fere omnia et adhuc codicibus latentia bene multa attente percurrerim, praeter notitiam historicam ab ano-

nymo descriptam et jam ab Assemano editam (1) quae, praefationis loco operum Isaaci arabicae versioni praefixa, extat in codice carshunico Bibliothecae Vaticanae hodiedum sub num. CXCVIII inscripto, me nihil invenisse fateri cogor.

Hoc documentum hic iterum typis exprimere inutile videtur (2).

En tantum assemanianam translationem cui elucidationis gratia varias notas addo :

Historia hujus sancti magni Mar (a) *Isaac.*

Hic oriundus fuit ex orientali regione (b), *Syrus genere. Fratrem autem germanum habebat* (c) *quocum monasticam vitam in coenobio sancti Mar Matthaei* (d), *ubi frequens est monachorum conventus, professus est. Cumque doctrina et ascetica observantia excellerent, frater quidem ejus ad praefecturam coenobii et monachorum regimen assumptus fuit. Ipse vero S. Mar Isaac postquam institutis coenobii* (e) *defunctus fuisset, in cellulam a monasterio procul positam secessit, ibique totum se dedit silentio ac solitudini, ab hominum segregatus consortio. Et quanquam frater assiduis instaret literis, ut ad coenobium rediret, ille tamen firmus in proposito perstitit. Cum autem ejus doctrinae et sanctimoniae fama percrebuisset, ad episcopatum magnae urbis Ninives evectus fuit* (f). *Ubi cum in cella episcopali prima suae consecrationis die sederet, ecce duo litigantes cubiculum episcopi intrant, quorum alter creditum reposcebat, alter debitum professus, differri tantisper solutionem flagitabat, dum sua recuperaret. Ast infelix ille dives : « Si, inquit, iste mihi quod meum est reddere recuset, acturum ad judicem ipsum arcessam. » Cui sanctus Mar Isaac : « Sacrum Evangelium praecipit ut ablata non repetas, quanto magis ut diem ad faciendam solutionem petenti indulgeas. » — Ad haec scelestus ille : « At nunc, subjecit, mitte ista de Evangelio. » — Tum vero sanctus Isaac : « Si Evangelio, inquit, isti non parent, quid ego huc facturus adveni ? » Videns praeterea sanctus vir, solitariam*

(1) *Bibliotheca orientalis.* Tom. I, pag. 445.

(2) In assemaniano textu, lin. 25, mendum irrespit. Pro العظمى codex recte habet المدينة العظمى.

vitam episcopali officio perturbari, abdicavit se episcopatu et sanctam Scetensem (g) *eremum petiit, ubi ad obitum usque commoratus, ad summum sanctimoniae culmen pervenit. Erat autem magister et doctor omnium monachorum portusque salutis universorum et quatuor hosce libros* (h) *de institutione monastica elegantissimo sermone conscripsit : cujus precum benedictio nos custodiat. Amen.* (i)

Vivebat hic sanctus ineunte anno mundi septies millesimo.

Adnotationes. — a) ܡܪܝ *Mor*, sive *Mar*, (juxta Syrorum orientalium pronunciationem), latine *Dominus meus*, est appellatio honorifica (*Monseigneur*) viris sanctitate conspicuis aut dignitate episcopali insignitis tribui solita, quin tamen per se sanctitatis notam includat.

b) — *Ex regione orientali.* Orientis sub nomine communiter veniunt apud scriptores Syros Jacobitas Mesopotamia orientalis, Assyria et provinciae quaedam regni Persici quae ܡܦܪܝܢܐ (*Maphriano* = Primati, Metropolitae magno) Jacobitarum seu Monophysitarum parebant et in quibus secta ista sedes episcopales modo plures modo pauciores necnon multa monasteria habuit. Occidentis generali appellatione designant regiones quarum dioeceses jacobiticae jurisdictioni ܦܛܪܝܪܟܐ (*Patriarchae*) immediate suberant, scilicet : Syria, Cyrrhaetica, Euphratesia, pars Mesopotamiae occidentalis, Palestina usque ad urbem Gaza, Cilicia Armeniaque.

c) — *Fratrem germanum habebat.* Hoc confirmat inscriptio sermonis XLV, (1) quae legitur : ܦܢܝܬܐ ܕܠܘܬ ܐܚܘܗܝ ܦܓܪܢܝܐ ܘܪܘܚܢܝܐ (*Responsio ad suum fratrem carnalem et spiritualem*).

d) — *Coenobium S. Mar Matthaei*, seu Mar Mattaï, ut Syri pronunciant, hodie ruinosum et derelictum remanet in possessione Jacobitarum Mossulensium. Illud monasterium

(1) B. O. T. I. pag. 451; lib. II, serm. 19.

quod etiam vocatur *Chuchta* (ܟܘܟܬܐ) (1) situm est in monte Maklob (syriace : ܐܠܦܦ *Elpheph*) (2), quinque leucis circiter ad orientem urbis Mossul quae, ut notum est, in altera ripa fluminis Tigridis prope ruinas antiquae Ninives aedificata est. Inter celeberrima simul et antiquissima monasteria hujus regionis computatur hoc coenobium, quod non ab Apostolo nomen habet sed ab altero S. Matthaeo qui, juxta Assemanum (3), in Saporis persecutione (330-370) martyrii palmam adeptus esset cum Behnamo hujusque sorore Sara et quadraginta sociis, quos Sennacherib Aturiae seu Ninives praefectus ejusdem Behnami parens interfecisse dicitur.

Sed recenter cl. P. Bedjan e codd. Berolin. et Roman. edidit *Acta S. Behnami ejusque sororis Sarae* (4), quibus si fides detur, a Sennacherib non martyrio coronatum sed e contra bonis cumulatum fuisse Matthaeum credendum est. In hisce actis narratur tempore Juliani Apostatae vixisse juxta Amidam civitatem monachum quemdam miraculis illustrem nomine Matthaeum (ܡܪܝ ܡܬܝ). Is vero fugiens persecutionem ab Apostata excitatam venit in regionem Assyriae seu Ninives, quae erat sub ditione Persarum, et sedem fixit in monte aspero haud procul dissito. Behnam autem filius Sennacherib Ninives regis, (intellige: *praefecti*) dum venationi vacaret cum sodalibus venit in hunc montem et a Matthaeo fidem christianam edoctus, a s. monacho obtinuit ut Niniven veniret Saramque sororem sanitati restitueret. Profectus Matthaeus, uno die itineris peracto, substitit in convalle juxta Niniven ubi Behnam, inscio patre, rem tamen edocta matre, Saram ad eum adduxit ; quae

(1) B. O. t. III, p. 2, pag. 58. — Bar Hebraei *Chronicon ecclesiasticum*, ed. Abbeloos et Lamy. Lovanii 1877, tom. II, col. 67.
(2) Bar Heb. *Chron.* t. I, col. 285.
(3) B. O. t. III, part. 2, p. 58.
(4) *Acta Martyrum et Sanct.* Syriace. Paris, 1891. t. II pp. 397-441.

sanata, cum fratre et comitatu baptizata est. Rex audita filiae sanatione laetatus est, sed cum Behnam, ejusque soror idolis sacrificare renuissent, iratus, eos gladio necari jussit. Mox vero in punitionem a daemone vexatus est. Ejus uxor, visione Behnam admonita, Matthaeum qui ad montem redierat arcessivit. Iste vero regem sanavit eumque fidem edoctum cum regina et aulicis baptizavit. Postea regiis impensis in monte quem incolebat Matthaeus ecclesia aedificata fuit. Illuc undique confluxerunt monachi et tanta quidem multitudine ut ad septem millia eorum numerus cresceret. Unde monti nomen ܐܠܦܦ, id est, ܐܠܦ̈ܝܐ « *millia* » inditum est(1). — S. Mar Matthaei historia in praedicto documento ultra non producitur (2).

Fata coenobii Mar Matthaei cujus incolae ܡܬܝ̈ܐ *Matthaeani*, appellabantur, describere non vacat. Qui plura desiderat adeat *Chonicon eccles.* Bar Hebraei (3), et etiam Dissert. doctissimi Assemani *de Syris monophysitis* quae praefixa est tomo II *Bibliot. Oriental.* (cap. IX).

e) — *Institutis coenobii defunctus* in cellam procul positam recessit. Per *instituta coenobii*, ut recte interpretatur Assemanus, intelligenda est *vita communis* quam per aliquod tempus ducere debebant monachi priusquam eis eremiticam agere liceret. Duo enim genera monachorum jam ab origine ferme monachismi fuisse testantur antiquissima

(1) Etymologia valde dubia.

(2) Fuit igitur S. Matthaeus fere coaevus S. Eugenio qui primus ex Aegypto in Syriam institutionem monasticam induxit. De S. Eugenio seu Eughin (ܐܘܓܝܢ) cf. B. O. t. III, part. 1, pag. 147, et praesertim, part. 2, pag. 862; Bar Heb. *Chron.* ed. cit. t. I, col. 86, not. — Hujus sancti vita servatur in codice Londinensi add. msc. 12174, ex quo eam descripsi ut publici juris facerem; sed petente P. Bedjan, ipsi apographon meum tradidi ut inseratur Eugenii historia in tertio volumine amplissimae collectionis sanctorum orientalium quod, curante doctissimo viro, mox diem videbit.

(3) Bar Hebr. *Chron.* ed. cit. t. I, coll. 285, 344; t. II, coll. 68, 104, 122, 344, 368, 380, 420, 494, 522. — Hujus celeberrimi Scriptoris sepulchrum in ecclesia monasterii Mar Matthaei hodieque extat.

monumenta : alterum *coenobitarum* « qui scilicet in congregatione pariter consistentes unius senioris judicio gubernabantur » ; alterum *anachoretarum* « qui prius in coenobiis instituti jamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta » et « secessores merito nuncupantur eo quod nequaquam contenti hac victoria qua inter homines occultas insidias diaboli calcaverunt, aperto certamine ac manifesto conflictu daemonibus congredi cupientes vastos eremi recessus penetrare non timeant. » (1)

f) — *Ad episcopatum Ninives evectus fuit.* Ab antiquissima aetate et valde probabiliter jam a tempore Aphraatis (2) consuetudo obtinuit ut episcopus Ninives inter monachos Mar Matthaei eligeretur, imo et in ipso coenobio commoraretur, unde fit ut indiscriminatim aliquando episcopus Ninives vel episcopus S. Matthaei appelletur. In perturbationibus tamen quas dissensiones inter Nestorianos et Monophysitas excitarunt, suspicari licet quandoque duos fuisse episcopos quorum alter in civitate, alter in monasterio sedem habuit.

g) — *Scetensem eremum petiit.* Regio Nitriensis sive Scetensis (alias Scetis, Scetica, Scetiaca, et male Scythia, Scythica vel Scythiaca) appellata sita est in Aegypto inferiori ad sinistram alvei occidentalis Nili fluminis et ad meridiem Mareotis paludis, vigenti quinque circiter leucis ab urbe Cahira distans. Est plaga deserta cujus in medio vallis

(1) Cassian. *Coll.* XVIII. cap. IV, VI. — De utriusque modo vivendi, origine, utilitate, commodis et incommodis, cum ad propositum nostrum tractare non pertineat confer, si lubet, Cassian. *Collat.* praesertim XVIII, et *de Coenobior, inst.*, maxime lib. V ; Hieronym. *Ep. ad Eustochium* (XXII). *Ep. ad Heliod.* (XII); August. *De moribus Christ.* et *de Operę monach.* ; Bellarm. *de Monachis* ; Turrecremat. *Tract. in regul. D. Benedicti.* ; Basil. *Regul. fusius disput.* ; Athanas. *Vit. S. Antonii*, etc. — Plura hac de re collegit Antonellius in dissert. *de Ascetis* quae inseritur in ejus editione armeniaca operum S. Jacobi Nisibeni. (Romae, 1756, pag. 107 sqq.).

(2) Cf. Forget. Dissert. *de Vita et Scriptis Aphraatis.* Lovanii 1882.

satis ampla, ab Arabibus واد النطرون hodie nuncupata, lacubus habitationi apta redditur. In hanc eremum primus S. Macarius, magni Antonii discipulus, monasterium condidit. Postea, crescente monachorum numero, alia coenobia semper frequentissima exstructa fuerunt necnon habitacula in quibus monachi duo tresve aut plures sed semper pauci simul vivebant. Palladius qui haec monasteria circa ann. 387 visitavit plusquam quinque millia monachorum ibi invenit (1), et ad initium saec. VII, Johannes Moschus adhuc fere quatuor millia reperiit (2). Teste Rufino (3), qui anno 372 per hanc solitudinem transiit, jam Syri non pauci in ea asceticam ducebant vitam. Isti vero incoluisse videntur praesertim monasterium quod *sanctae Mariae Deiparae* (etiam *S. Pisois*) nuncupabatur quodque a suis civibus conditum fuisse ante finem saeculi quarti plura suadent. Probabile est Isaacum ex ninivitica regione recessisse in hoc coenobium quod adhuc extat et ex cujus bibliotheca major et pretiosior pars syriacorum codicum qui in Europam advecti sunt provenire notum est.

h) — *Quatuor hosce libros composuit.* Ex hac adnotatione ipsum auctorem arabicae collectionis vitam Isaaci, documentis innixum quae ignoramus, composuisse concludi posse videtur, et quidem probabiliter cum jam libros describendi opus absolverat (4).

i) — *Amen.* In hanc vocem cum formula deprecatoria prius desinebat, ut solitum, notitia historica. Quae sequuntur verba de Isaaci aetate serius addita sunt eaque sequenti paragrapho expendam.

Atque haec sufficere videntur ad explanationem istius antiqui et unici de auctore nostro monumenti.

(1) *Hist. lausiaca.* cap. 4 et 5; Migne. *Patr. gr.* t. XXXIV.

(2) *Vitae Patrum.* Migne. *Patr. lat.* LXXIV. col. 118.

(3) *Hist. monach.* cap. 10. Migne. *Patr. lat.* t. XXI. col. 428.

(4) Cf. quae de origine hujus arabicae collectionis infra scribo (Cap. II. § 3.)

II. — Ex his quae in hoc documento nobis traduntur non minus ac fide et unanimi consensu omnium codicum tum syriacorum tum graecorum quos infra recensebimus, manifestum est Isaacum Ninivitam plane esse diversum tum ab alio Isaaco Syro, ecclesiae antiochenae presbytero, de quo sermonem habet Gennadius in suo libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis* (cap. 66) (1), tum ab illo Isaaco quem narrat S. Gregorius Magnus in tertio libro *Dialogorum* (cap. 14) e partibus Syriae in Italiam venisse ac prope Spoletum in asceterio ab ipso condito reliquum vitae suae tempus transegisse (2).

Utraque tamen hypothesis suos habuit fautores.

Priorem insinuat Faustus Nairo (3). « Non pauci, ait doctus maronita, inter Syros numerantur Ecclesiae Orientalis Doctores ac praecipue illi qui ante concilium Chalcedonense scripserunt, uti sunt..... S. Isaac *Episcopus Mausal* (= Ninives) qui, ut refert Barebraeus in suis Annalibus in Theodosii junioris imperio, ejusdem Sti Ephrem discipulus fuit, et varia ejus opera prostant de philosophia et sacrarum Scripturarum expositione. »

Patronos adhuc habet haec sententia inter scriptores vel criticos quorum in notitiam Isaacus Ninivita non nisi ex ejus operum graeca aut latina translatione venit :

(1) Migne, *Patr. lat.* t. LVIII, col. 1098.

(2) Migne, *Pat. lat.* t. LXXVII, col. 245. — *Acta Sanct.* Tom. II April. pag. 29.

(3) *Euvoplia fidei.* Romae 1697, pag. 47. — Naironi errandi causam fortasse praebuit Abulbarcatus Ben Cabarus qui in libro cui titulus *Lampas tenebrarum et Declaratio officiorum* (cap. 7) haec scribit : « Isaac Syrus ejusdem (Ephremi) discipulus habet celebrem librum sermonum, quem monasticae vitae professores magni faciunt ejusque dicta gestaque mirantur. Divina quippe sapientia et doctrina Spiritus plenus est. Continet autem sermones quadraginta et orationes quindecim, quos e syriaco arabicos fecit Abdalla diaconus Alphadli filius » (B. O. t. I. p. 207) — Jam vero sermones Isaaci Ninivitae sunt quos vertit Abdalla, et probabiliter quidem non e syriaco sed e graeco, ut infra dicam loquendo de versionibus operum Isaaci. (Cap. II. § 3).

Trithemium (1), Possevinum (2), Gesnerum (3), Saxium (4) aliosque.

Omnes enim isti cum viderint sermones praeferre nomen τοῦ Ἰσαὰκ τοῦ Σύρου, alium quam Isaacum Magnum (5) eorum esse auctorem non putaverunt, nec inquisierunt an etiam qualitas τοῦ ἐπισκόπου Νινευΐ huic convenire posset.

In eumdem errorem incidisse videtur auctor homiliae *de silentio et vita solitaria* (6) qui de Isaaco nostro scribit : Ἰσαὰκ ὁ τὴν σειρὰν τοῦ γένους ἀπὸ Σύρων ἕλκειν ᾀδόμενος καὶ οὐ πόρρω Ἐδαίσσης ἐκείνης τῆς ἐν Μεσοποταμίᾳ ἀνατραφείς..... καὶ εἰς μέτρον ἡλικίας ἐλάσας ὁ ὅσιος ἐκεῖθεν ἐκ τῶν ἱερῶν καὶ πανσόφων γραμμάτων τὴν ἀθόλωτον πηγὴν ἀρυσάμενος τὴν ἀείζωον καὶ ἀείρυτον καὶ ἀκένωτον, κἀκεῖθεν δείκνυται ἐκ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ τοὺς ἀσκητικοὺς ἀγῶνας τοὺς ὑπερφυεῖς καὶ μεγάλους διηγωνισμένος...... κ. τ. λ. (7) Dein divino nutu

(1) *De script. eccles.*, cap. 147, ed. Colon. 1546, p. 71.
(2) *Apparatus sacer.* Colon. Agripp. 1608, t. I, p. 974.
(3) *Biblioth.* Tiguri, 1583.
(4) *Onomasticon litter.* Trajecti ad Rhen. 1775, p. 507.
(5) S. Isaac Antiochenus, cognomine Magnus, longo tempore, Gennadio teste, scripsit. Magistro usus est Zenobio, S. Ephremi discipulo, qui non est confundendus cum Zenobio episcopo, aequali S. Gregorii Illuminatoris. Cum supervixit Isaacus ruinae Antiochiae quae anno 459 contingit, circa ann. 460 decessisse videtur. Male igitur ad ann. 440 eum referunt plerique auctores qui libros de *Scriptoribus eccles.* composuerunt. Historia miscellanea a Land edita (*Anecdot. Syriac.* tom. III) eum e Syria occidentali oriendum sub Honorio et Theodosio II imperatoribus vixisse et Romam quoque visitasse narrat. Bar Hebraeus (*Chron. eccl.* ed. cit., tom. I, col. 166) addit eum Edessae quoque fuisse notum, simulque per summam injuriam illum appellat haereticum. Ast revera S. Isaac haeresibus semper strenue obstitit et successive contra Nestorianos, Eutychianos, subtilioresque Monophysitas scripsit. Ejus praeclara opera jam partim edidit G. Bickel. *S. Isaaci Magni syrorum doctoris opera omnia*, syriace et latine, t. I et II. Gisae, 1882-86. — Cf. ejusdem Bickell *Conspect. rei syrorum litterariae*, pag. 22 sq. ; et B. O. t. I, pag. 207.
(6) Vide quae de ista homilia in praefatione dixi.
(7) Bib. Nat., cod. 1076, fol. 7*b*. — Id est: « *Dicitur Isaac originem ducere a Syris et non longe ab Edessa Mesopotamiae educatus fuit..... juventutis limen consequutus, sanctus iste ibidem*

ad Ninivitanum episcopatum Isaacum evectum fuisse narrat.

Jam vero ista Antiocheno presbytero conveniunt non autem Ninivitae episcopo, qui in plaga *orientali*, ideoque longe ab Edessa, lucem diei adspexit.

Ceteroquin, notum est Isaacum Antiochenum nunquam episcopatum egisse, ejusque scripta non mere ascetica esse sed potius, ut Lambecii vocabulo utar, *haereticomachica* contra Nestorianos praecipue et Eutychianos; dum e contra Ninivitam et ascetica tantum reliquisse et episcopum fuisse codices syri, arabici, graeci, aethiopici uno ore docent. Intercedit praeterea inter utrumque hoc discrimen quod prior communiter metrico sermone usus est, hic vero nonnisi soluta oratione scripsit.

Quibus forsan considerationibus permoti alii Isaacum Syrum, Ninives episcopum, eumdem facere cum Isaaco Spoletano maluerunt. Ita Aubertus Miraeus (1), Lambecius (2), Caveus (3), Amadutius (4), Dupin (5), Lequien (6) aliique.

Sed praeter quod S. Gregorius nullibi dicat suum Isaacum antequam in Italiam veniret ad dignitatem episcopalem promotum fuisse, non Spoletum sed in Aegyptum recessisse post abdicatum episcopatum Ninivitam testatur ejus supra recitata historia et hoc confirmant plura ejus scriptorum loca, ubi verbulum habet de « *hoc* » deserto Scetensi. Nec apparet cur syriace inter latinos scripsisset; neque conveviunt ea quae habet de monachorum institutis cum latino-

sacrarum et sapientissimarum scripturarum ex limpido hausit fonte immortali, semperfluenti et inexhausto; ibidem etiam, ut apparet ex ipsius libris, asceticos agonas supernaturales et magnos exantlavit. »

(1) *Not. ad Gennadium.* Antverpiae 1639, p. 65. — *Auctarium ejusd. vol.* p. 211.

(2) *Comment. de Bibl. Caesar. Vindebonensi.* T. V, p. 72. Viennae 1672.

(3) *Script. Eccles. histor. litter.* Genevae 1705, p. 338.

(4) *Anecdota litter.* T. II, Romae 1772, p. 27.

(5) *Nouvelle Bibl. des aut. ecclés.* T. IV, Mons 1691, p. 215.

(6) *Oriens christian.* Parisiis 1740. T. II, p. 863.

rum moribus, dum optime concordant cum iis quae in usu fuisse apud aegyptios e libris Cassiani novimus.

De istis vero non longiores erimus, cum jam antiquata sit utraque opinio; ad difficiliora veniamus.

§ II.

ISAACI AETAS.

I. — Quo autem tempore vixerit Isaacus Ninivita definire non adeo facile et tamen summi est momenti, quia intime haec quaestio connectitur cum sequenti : an scilicet orthodoxae fidei vel alicui sectae haereticae addictus fuerit.

Qui Ninivitam a presbytero Antiocheno ejusdem nominis non distinxerunt ei sane assignant medium saeculi quinti (1) ; qui vero nostrum auctorem hunc esse Isaacum Spoletanum, de quo S. Gregorius « usque ad extrema Gothorum tempora vixisse » scribit, eum ad medium saeculi sexti logice referunt (2). Sed utrosque in errorem inductos fuisse jam supra demonstravimus.

Assemanus quem sequuntur omnes qui post ipsum scripserunt (3) saeculi sexti finem tanquam epocham nostri Auctoris designat.

Nos vero eum circa medium et ante finem saeculi quinti floruisse putamus.

II. — Quam infirma sit Assemani sententia primum demonstremus.

Postquam recitavit cl. vir conclusionem biographiae

(1) Vide supra pag. 9, not. 5.
(2) Cf. *Acta Sanctor.* loc. cit.
(3) Cellier, *Hist. des auteurs Ecclés.* ed. 1762, t. XVIII, pag. 152. — Bickell, *Conspectus rei syr. lit.* pag. 26. — Wright, *Encyclopedia Britannica*; art. *syriac literat.* ed. 1887, t. XXII, p. 836. — Rohrbacher, *Hist. univ. de l'Église*, Liége 1850, t. IX, p. 48.— Darras, *Hist. de l'Église*, Paris 1874. t. XIV, pag. 196 ; aliique.

Isaaci ex codice arabico : « *Vivebat hic sanctus ineunte anno mundi septies millesimo*, » et observavit hoc significare « annum Christi quingentesimum juxta vulgarem Syrorum, Graecorumque supputationem qui ante Christi nativitatem annos ab orbe condito numerare solent plus minusve quinquies mille et quingentos » pergit (1) : « sed Isaaci aetas clarius demonstratur ex ipsiusmet scriptis. Nam in laudato codice Nitriensi XX, pag. 215 (2), Jacobi Sarrugensis, quem initio saeculi sexti claruisse supra ostensum est, testimonium ab ipso usurpatur. In graeco autem msc. cod. 391, in quo nonaginta ejusdem Isaaci sermones a Patricio et Abrahamo in sancti Sabae laura monachis e syriaco in graecum translati continentur, postremum locum occupat ipsius Isaaci Epistola ad sanctum Simeon Stylitam juniorem cognomento *Thaumastoristam*, qui ἐν θαυμαστῷ ὄρει, *in admirabili monte*, prope Antiochiam sub Justiniano ac Justino juniore supra columnam sanctissime vivebat, et anno Christi 593, die 24 maij, sub Mauritio Imperatore in coelo evocatus est (3). Sexto igitur saeculo ad exitum vergente Isaacum nostrum floruisse necesse est ». Haec ille. Sed pace istius viri dictum sit, ex utroque capite peccat ejus ratiocinium : neque enim Jacobum Sarugensem citat Isaacus, neque ad Simeonem Thaumastoristam scripsit.

Hanc epistolam, quam hic sine ulla haesitatione affirmat ad Simeonem Stylitam juniorem datam fuisse, recenset inter opera Isaaci Ninivitae (4) his verbis : « Sermo 21. (Libri IV) *Epistola ad S. Simeonem Thaumastoristam*. Cod. vat. 391,

(1) B. O. t. I, pag. 445.

(2) Cod. Nitriensis XX est cod. 198 cat. Vatic. qui arabicam versionem operum Isaaci ejusque vitam continet. — Jacob Sarugensis defunctus est anno Christi 521, die 29 novembris.

(3) Epocha eruitur ex Evagr. *Hist. Eccl.* Lib. IV, cap. 23 et Niceph. *Vita* hujus sancti, cap. ult.

(4) B. O. t. I. p. 460.

p. 349. et cod. 605, p. 256. Extat etiam in cod. Regio-Alexandr. 23 p. 147, sub hoc titulo : Ἐπιστολὴ μεγάλη πρὸς τὸν ἀββᾶν Συμεὼν τὸν ἀπὸ Καισαρείας : *Epist. magna ad abbatem Simeonem Caesareensem.* Sed haud dubium, quin τὸν ἀπὸ Καισαρείας pro τὸν ἐν θαυμαστῷ ὄρει obrepserit, *ut habent emendatiores codices.* »

Epistola ista a card. Maio edita fuit et habetur in tomo VIII *Patrum novae bibiothecae.* Part. III, pagg. 157-187, sub hoc titulo : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰσαὰκ ἐπιστολὴ πρὸς τὸν ὅσιον πατήρα ἡμῶν Συμεῶνα τὸν ἐν θαυμαστῷ ὄρει. — Ei praeposuit doctissimus Cardinalis breve monitum in quo adstipulatur Assemani sententiae (1). Sed P. Cozza, tunc monachus basilianus, qui post Maij mortem editionem hujus voluminis curavit, merito insurgit adversus hanc opinionem et critice rationibus intrinsecis et extrinsecis falsam demonstrat. Ipse audiatur : « Imprimis, ait vir criticus, praetereundum non est quod inter multa quae Symeoni isti tribuuntur scripta etiam deperdita, neque vidimus innui epistolam hanc Symeonis ad Isaacum, cui iste amplissima elucubratione respondet. Praeterea nomini Symeonis istius haud levis saltem ignorantiae nota inureretur, si quis crederet isti viro perfectionis asceticae et mysticae peritissimo, tot illos errores tribui posse, quos merito in responsione sua carpit Isaacus... »

Huic capitali animadversioni accedit codicum quoque auctoritas. Nonnulli sunt qui nomen Simeonis sine addito praeferunt, ut cod. Barberinus V. 5 et Taurin. 351 ; alii hunc Simeonem asserunt esse abbatem Caesareensem — (decem hujusmodi enumerat Cozza quibus duodecim alios nos addere possumus) — nullus vero est qui Simeonem *styliten* cognominet et, praeter duos vaticanos (391 et 605), nullus vocat eum θαυματουργόν. Quare pergit P. Cozza : « haud sine admiratione conspicimus eruditos nulla fretos codicum

(1) Part. III, p. 156.

vel argumentorum auctoritate asseruisse epistolam Isaaci nostri ad Stylitem potius datam fuisse quam ad alium Symeonem Caesareensem, uti codices indicant. Ac praecipue nescimus undenam Assemanus hauserit, quae dixit in recitatis verbis : *emendatiores codices* habere Stylitae τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει nomen. » Quantum crevisset ejus admiratio si ipsi compertum fuisset Assemanum tam parum diligentem in inquirendo quam facilem in corrigendo se exhibere !

Haec vero amplissime sufficiunt ut demonstretur quod intendebat P. Cozza, hanc nempe epistolam ad Simeonem Stylitam directam non fuisse.— Nos autem ulterius progredientes e syriacis documentis eruimus opus non esse Isaaci Ninivitae sed ejus auctorem, quem Maius (1) laudat quasi « qui et christianorum dogmatum concordiam, et fidei stabilitatem, et summum virtutis apicem, et contemplativae insuper scientiae theorias sublimes » ostenderet, alium non esse quam virum haereticum, fidei orthodoxae impugnatorem accerrimum Philoxenum Mabugensem (2).

Textus enim graecus qui legitur apud Maium quocum conveniunt codices graeci omnes quos inspeximus, nihil aliud est quam versio Epistolae Philoxeni quae inscribitur : *Responsio ad quaesita Patricii Edesseni eremitae* cujus textum syriacum legimus Londini, in cod. Add. 14649 (fol. 180*a*-200*b*) et extat pariter, docente Assemano, in cod. Vaticano 125 (3). — Ex comparatione autem istius textus

(1) Loc. cit.

(2) Philoxeni ܦܝܠܘܟܣܢܘܣ (Φιλόξενος), alio nomine ܐܟܣܢܝܐ *Xenaias* vocati, gesta et opera recenset Assemanus (B. O. t. II, p. 10 sqq.). Fuit is Monophysitarum defensor subtilis qui docuit in Christo *unam naturam duplicem* ܚܕ ܟܝܢܐ ܥܦܝܦܐ, quae locutio veluti tessera est haereseos jacobiticae. — Defunctus est paulo post ann. Chr. 522.

(3) Cf. B. O. t. I, p. 561 et *Cat. Bibl. Vatican.* t. III, pag. 152; etiam B. O. t. II, p. 46, n. 21. — In quinque codicibus Musaei Britan. — (Add. msc. 12167; 14580; 14621; 14623; 14649) — servatur haec epistola et inscribitur : ܐܓܪܬܐ ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܟܣܢܝܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܡܒܘܓ : ܕܠܦܛܪܝܩܘܣ ܚܣ̈ܝܐ

syriaci cum graeca translatione novimus in syriaco deficere partem satis notabilem epistolae graecae : illam scilicet quae in editione majana §§ 8-15 includitur ; sed mox diligentiori examine invenimus illos paragraphos esse versionem alicujus sermonis Isaaci Ninivitae, qui ita insertus est media in epistola Philoxeni, illius nempe qui ab Assemano notatur quadragesimus primus libri tertii sub hoc titulo : *Responsio ad interrogationem cujusdam fratris* (1).

Qui autem factum sit ut haec epistola Philoxeni Isaaco Ninivitae adscripta fuerit? Excogitare non est difficile. Cum enim Philoxenus monophysita pari odio Nestorianis et Orthodoxis erat, qui graece hanc epistolam vertit cum nolebat suis proponere odiosi viri sermonem, mutavit titulum ut opus imponeret Ninivitae, cujus scripta favorem monachorum semper obtinuerunt. Et forsan ne sibimetipsi mendax videretur epistolae alienae sermonem unum Isaaci inseruit totamque hanc hybridam elucubrationem huic adscripsit. Res non est mira nec sine exemplis; magis mirum est Assemanum hoc non advertisse : cur enim non examinaverit an opus quod *immediate* sequebatur sermones Isaaci in codice syriaco quem prae manibus habebat idem foret ac illud quod *immediate* eos excipiebat in codicibus graecis ? nescio. Vel potius mihi compertum est, et quamvis non deceat tyronem magistrum carpere, rei veritate coactus dicam, eum saepius negligenter ex sola inspectione titulorum, opere haud lecto, sententiam pronuntiasse. En exemplum ; alia infra exhibebo.

Contra Assemani opinionem stat insuper testimonium

ܕܢܘܗܪܐ . ܒܟܠ ܕܫܘܒܚܐ ܕܝܠܗ ܕܢܘܗܪܐ . ܕܐܬܝܗܒ ܘܫܪܝܘ ܡܬܥܠܝܢܐ . ܘܐܦ
ܘܠܐ ܕܢܘܗܪܐ ܕܫܘܡܠܝܐ ܠܚܝܘܬܐ ܕܠܟܘܡܗܘܢ ܚܝܐ . ܘܐܦ ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܠܝܘܢܝܐ
ܠܟܠܗܘܢ ܦܘܩܕܢܘܗܝ ܕܡܫܝܚܐ . ܕܐܬܐܠ ܡܢ ܩܪܝܒܐ ܦܠܓܝܪܘܣ ܡܫܡܫܢܐ
ܐܘܪܗܝܐ . ܡܢ ܒܬܪ ܗܘ ܗܘ ܒܩܪܝܒܐ ܘܡܫܝܚܐ ܠܗ ܕܠܗ ܒܦܓܪܐ ܗܠܝܢ ܀

(1) B. O. t. I, p. 458. lib. III, serm. 41.

historicum Gregorii Bar Hebraei qui nobis servavit nomina episcoporum coenobii Mar Matthaei sive Ninives, juxta consuetudinem quam supra notavimus (1). Dicit autem Barsohedae interfecto a Barsuma successisse Garmaeum a Christophoro Armenorum catholico ordinatum tempore Chosroes regis (2); in locum Garmaei suffectus est Tubana cui successit Jesuzacha, illi vero Saada, huic Simeon, Simeoni denique Christophorus qui tempore Maruthae Tagritensis vivebat (3). Maruthae autem electio contigit anno 629 juxta Bar Hebraei chronologiam, anno vero 624 juxta Eliam Nisibenum. Igitur inde ab anno 560 usque ad ann. 625 nullum invenimus Mar Matthaei seu Ninives episcopum nomine Isaacum.

Hisce adde quod statuendo Isaacum vixisse hoc loco circa hunc ambitum temporis quasi necessario eum Monophysitam fuisse dicere cogeremur : quam tamen hypothesim excludunt ejus scripta, ut mox exponemus. Nec melius reponitur circa medium saec. VI ; nam, docente ipso Assemano (4), eo tempore quo Mar Abbas patriarcha Nestorianis praefuit (536-552) et clerum saecularem emendare conatus est, Abraham Cascarensis ex Aegypto, ubi vitam religiosam professus erat, in Assyriam regressus est, ut collapsos monachorum mores reformaret, et coenobium in monte Izlensi fundavit. Ex quo apparet primis decenniis saec. VI monasticam vitam in Assyria fere exstinctam fuisse : non tantum apud Orthodoxos per haereticorum vexationes, sed etiam apud Nestorianos per morum dissolutionem. Idcirco putamus Isaacum nostrum, cujus scripta florentissimum

(1) Cf. supra pag. 6. — Hanc consuetudinem etiam hoc tempore viguisse patet ex eo quod Bar Hebraeus Barsohedem indiscriminatim vocat episcopum Mar Matthaei et ep. Ninives. (*Chron. eccl.* ed. cit. part. II, col. 86).

(2) Chosroes libertatem Christianis, maxime Monophysitis, concessit post pacem cum imperio Occidentis sancitam anno 561.

(3) *Chron. eccl.* edit. cit. part. II, pag. 68, 87, 104, 118.

(4) B. O. t. III, part. 2, pag. 872 sqq.

monachismi statum supponunt, antea vixisse aut saltem jam ab hisce regionibus discessisse.

Firmum igitur remanet non solum eum ad Simeonem Stylitam non scripsisse sed nec eodem tempore vixisse.

Oportet ne admittere illum in vivis fuisse post annum 521 quo mortuus est Jacobus Sarugensis, eo quod hunc citaret ? Minime.

Dato enim quod extaret in laudato codice arabico, ut asserit Assemanus, quoddam testimonium Sarugensis, uti interpolatio haberi deberet, cum neque in textu syriaco occurrat neque in graeco ex quo procedit arabica translatio.

Asserit Assemanus (1) ab Isaaco Jacobum velut catholicum scriptorem laudari, parte II, *sermone XI*, codicis Nitriensis XX, *fol.* 115 ; et paulo post dicit eum laudari *sermone XXXII*, *pag.* 215. Quamvis autem attentius syriaca quae utrique loco respondent iterum atque iterum legerim neque Sarugensem neque alium quemdam Jacobum nominari reperii. Nec graeca versio hisce locis nomen Jacobi praefert. Quare dubito prolationem occurrere vel in praedicto codice arabico, eo magis quod ill. D. Abbeloos qui Romae conscripsit suam Dissertationem de Jacobo Sarugensi (2), in qua eum fuisse orthodoxae fidei addictum ex scriptis ejus eo tempore notis propugnabat, Assemanum sequutus, ex hoc viro notat tantum loca duo supra indicata, ipsum vero testimonium omittit, quod si invenisset sane exscripsisset sicuti fecit pro Josue Stylita, Johanne Marone et Timotheo Cpolitano (3).

(1) B. O. t. I, pp. 291 et 452.

(2) *De vita et scriptis sancti Jacobi Batnarum Sarugi episcopi.* Lovanii 1867.

(3) Op. cit. pagg. 146-148. — Assemani error inde forsan provenit quod alicubi viderit ab Isaaco citari ܡܠܦܢܐ, *doctorem*, quo nomine Syri designant saepius Jacobum Sarug., sed etiam Theodorum Mopsuestenum. Cf. infra pag. 24, n. 1. His dubiis permotus bis rogare feci quemdam professorem Romae degentem ut duobus locis indicatis codicem inspiceret et an revera occurrat Jacobi nomen vellet indicare, sed hucusque ne responsum quidem dare opportunum judicavit.

Nulla igitur necessitas ut dicamus post Jacobi Sarugensis mortem Isaacum Ninivitam vixisse.

III. — Explosa Assemani sententia, nostram proferamus quae est : Isaacum floruisse paulo ante finem saeculi quinti. Rationes quae nos in hanc conclusionem ducunt sunt sequentes :

Primum quidem saepius Isaacus citat Theodorum Mopsuestenum, qui vita functus est anno 429, eumque vocat ܡܦܫܩܢܐ *Interpretem* seu *Commentatorem*, quasi jam haec appellatio ei propria fuisset, quod non obtigisse videtur nisi aliquot annis post hujus viri mortem (1). — Praeterea citat semel Socratem (2), cujus historia usque ad annum 440 perducitur. Revera illam legere in textu graeco potuit statim post ejus evulgationem sed multo probabilius est eam syriace translatam agnovisse ideoque post certos quosdam annos. — Insuper, in quodam loco quem mox exscribam, tam aperte profitetur duas in Christo naturas, ut post Concilium Chalcedonense, quod anno 451 celebratum fuit, eum scripsisse dicendum videatur. — Accedit quod vir eruditus qui amat usurpare testimonia auctorum celebrium nullum scriptorem hac aetate recentiorem allegat. — Inde etiam facilius intelligitur quomodo apud exteros non bene distinctus fuerit ab altero Isaaco Syro antiocheno qui circa medium saeculi quinti vivebat. — Denique haec sententia ferme convenit cum adnotatione biographi, quae si non tanti facienda est, tamen nec omnino spernenda. Haec notula, ut ex contextu manifestum fit, addita fuit historiae Isaaci jam absolutae. Videtur auctor illam eruisse ex quodam loco scriptorum Ninivitae ubi hic proclamat daemones in inferno esse inde a sex millibus annorum (3) ; unde scriba supputa-

(1) Conjectura eo evadit probabilior quod hujus viri opera in syriacam linguam versa fuerunt ab Iba episcopo edesseno. (Cf. B. O. t. I, pag. 350, not. 2).

(2) Add. msc. 14635 f. 72.

(3) Add. msc. 14635 f. 106*a* legitur de daemonibus : ܕܐܠܝܗܘܢ ܒܢ̈ܝܢ ܫܬܐ ܐܠܦܐ ܕܫܢ̈ܝܐ ܀

vit Auctorem ineunte anno mundi septies millesimo vixisse, id est, juxta Graecorum chronologiam, exeunte saeculo post Christum natum quinto (1).

Ut majori cum praecisione definiatur Auctoris nostri tempus monumenta hucusque deficiunt.

§ III.

ISAACI ORTHODOXIA.

Quaestionem de orthodoxia Isaaci nostri absoluta cum certitudine definire non auderemus.

Assemanus quidem eum inter orthodoxos auctores recenset (2).

Sed ut notum est, doctus vir decus suae gentis nimio amore prosequutus haud semel aethiopem dealbare voluit : plurimum laboravit v. g. ut ab omni haereseos nota purgaret Jacobum Sarugensem, Jacobum Edessenum, Acacium Aramaeum (3) quos tamen haereticos fuisse ipsorum scripta monumentaque historica dubitare non sinunt.

Etsi igitur longe probabilior videatur ejus sententia de Isaaco, tamen non habemus unde certo probetur et quaedam in hujus scriptis occurrunt quae fidem auctoris in malam suspicionem inducere possunt.

(1) Hae rationes etiam impediunt quin Isaacus noster idem putetur ac ille quem adiit Cassianus in Scetensi deserto, sicuti primum mihi visum fuerat. In hanc opinionem inducebar ex maxima convenientia, quandoque ferme verbali, quam deprehenderam inter ea quae in suis *Collationibus* (col. IX et X) Cassianus Isaaco cuidam adscribit et varia operum Isaaci Ninivitae loca praesertim circa orationem et donum lacrymarum.

(2) Cf. B. O. t. p. 444 ubi inter scriptores orthodoxos recenset Isaacum; et p. 291 ubi testimonium in favorem Jacobi Sarug. eruit eo quod hic ab Isaaco citetur.

(3) Cf. B. O. I, pag. 286 sqq. ; pag. 470-475 ; III part. I, 380-395.

I. — Tempore quo vixit Isaacus Orientem perturbabant dissensiones dogmaticae inter orthodoxae fidei cultores et Nestorii Eutychetisque fautores. — Natura rerum quas tractabat Isaacus in suis scriptis raro non quaerenti occasionem praebebat dogmaticas quaestiones attingendi; quare parvo sunt subsidio ad Auctoris fidem dijudicandam ejus opera. Evincunt tamen eum non fuisse Monophysitarum sectae addictum verba quibus absolvitur sermo tertius (*add. msc.* 14633 f. 12*b*). En fragmentum :

...ܘܬܫܟܚܘܢ ܠܢܦܫܟܘܢ ܚܝܐ ܕܠܥܠܡ ܒܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ

ܡܨܥܝܐ ܕܐܠܗܐ ܘܕܒܢܝܢܫܐ ܘܡܚܝܕܐ ܕܡܢ ܬܪܝܗܘܢ . ܗܘ ܕܒܗ

ܒܬܫܒܘܚܬܐ ܕܢܗܪܐ ܠܬܪܘܢܘܣ ܕܐܠܗܘܬܗ ܕܟܪ̈ܘܒܐ ܕܡܬ̈ܕܟܪܢܐ ܠܐ

ܡܫܒܚܝܢ ܕܢܬܒܫܡܘܢ ܐܝܟ ܡܬܠܬܐ ܠܠܡܠܐ . ܗܝܟܠܐ ܘܡܫܒܚܐ

ܕܐܠܗܐ . ܕܠܝܬܘ ܠܗ ܣܘܦܐ ܘܠܐ ܪܫܐ . ܗܘ ܕܒܗ ܡܬܚܡܬܢܝܘܬܗ

ܠܐ ܥܒܕܐ ܐܝܟ ܕܪܫܝܬܐ ܕܒܪܝܐ ܘܡܩܕܡܐ ܒܐܦܝ ܐܪܥܐ ܕܡܢ

ܗܘܕܩܕܡ ܫܡܝܐ ܡܬܚܘܝܢܘܬܗ ܠܥܘܪܢܐ ܕܚܝ̈ܐ ܕܟܠ ܀ ܗܢܐ

ܕܕܟܐ ܒܗ ܠܥܡܩܐ ܫܬܝܐ . ܘܡܬܝܕܥ ܐܝܟ ܒܗ ܚܝܠܗ̈ ܕܟܠܗ .

ܐܝܟ ܡܠܟܐ ܕܐܠܗܐ . ܘܡܬܝܕܥ ܕܟܠ ܕܠܥܒ̈ܕܘܗܝ ܘܠܫܘܒܚܗ .

ܐܠܗܐ ܫܘܒܚܐ ܚܝܠܗ ܒܒܪܝܬܗ . ܒܡ ܚܝܠܗ ܠܐ ܡܬܚܡܐ . ܕܟܠ ܐܦ

ܡܬܒܪܝܢܘܬܗ ܕܒܟܠܗܘܢ ܕܐܝܟ ܡܠܟܘܬ ܠܐܡܬܒܥܐ . ܘܡܫܬܒܚ

ܘܡܫܒܚܐ ܠܡܣܒܪܢܘܬܐ . ܘܣܓܝܐܐ ܠܗ ܡܢ ܟܠ ܐܦ ܗܘܐ ܘܡܫܒܚܝܢ

ܘܡܠܟܐ ܠܠܥܠܡܝܢ . ܐܡܝܢ ܀

Id est : » *Et invenies vitam aeternam in Jesu Christo, mediatore Dei et hominum* qui unitus est ex duabus hisce (naturis) (1); *cujus gloriam circumvolventem thronum hono-*

(1) Graecus habet ad lit. ἐξ ἀμφοτέρων ἡνωμένῳ — Agnosco in

ris ipsius legiones angelorum non possunt contemplari, qui apparuit propter nos in mundo abjectus et humilis, et non erat ei adspectus nec splendor ; qui, cum ejus visibilitas inaccessibilis est perceptioni creaturarum, sub velo membrorum nostrorum perfecit opus suum in liberationem vitae omnium ; qui purgavit in se populos multos et cui Dominus imposuit peccata omnium nostrum juxta verbum Isaiae (1) : *et Dominus voluit humiliare et affligere eum : impositum est ei peccatum cum ipse peccatum nescit*; *cujus providentia in omnibus generationibus ad nos spectabat : quamobrem ei sit gloria, laus, gratiarum actio, et adoratio ab omnibus, nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.* »

Duplicem igitur naturam in Christo profitetur Isaacus noster.

II. — Sed haec distinctio duarum (naturarum) in Christo necessario non includit unitatem personae, et historicis

his verbis professionem duarum *naturarum* in Christo ; et verba ita significare putavit etiam Cl. Bickell (*Einleit. cit.* p. 279). Cum enim adjectivo ܬܪܝܗܘܢ (*ambo*) subaudiendum est nomen masculini generis ܟܝܢܐ scilicet, ut videtur. Si quis autem dicat etiam voces masculinas ܦܪܨܘܦܐ (*personam*) vel ܩܢܘܡܐ (*hypostasim*) subintelligi posse, nihil tamen inde conficeretur contra conclusionem nostram. Hoc enim casu haberes professionem fidei Nestorianorum non minus Monophysitis quam Orthodoxis infensam. — Alia difficultas forsan moveri posset ex eo quod Monophysitae vocantur ܐܪ̈ܛܝܩܐ ܡܚܝ̈ܕܝܢ ܟܝ̈ܢܐ *haeretici qui uniunt naturas* (Cat. Bibl. Vatic. t. II pag. 518). Sed observandum est verba ܡܚܝܕܘܬ ܟܝ̈ܢܐ per se et sensu obvio recte sonare, et nonnisi ex contextu et mente auctoris haeresim dissimulare. Nihil vero suadet Isaacum suae locutioni contortam significationem subjicere voluisse; imo si advertas ipsum, ut mox dicam, saepe laudare Theodorum Mopsuestenum, virum Monophysitis valde odiosum, fatearis oportet neminem posse absque injuria ipsius verba sensu monophysitico interpretari.

(1) Is. LII, 15 ; LIII, 2, 3, 10.

documentis scimus Nestorium subdola arte potuisse admittere *Christum esse unum* vel etiam *unam personam* quin tamen suam haeresim abjiceret (1). Ex verbis igitur supra recitatis minime constat Isaacum ab haeresi nestoriana immunem fuisse. Reperii quidem in ejus scriptis alium locum quem nunc expendam. Leguntur cod. Londinensi (*add. msc.*) 14633 fol. 60*b*, haec verba :

. . . ܠܐܠܗܢ . ܗܘ ܕܡܨܥܝܐ ܢܣܒ ܡܢ ܓܢܣܢ ܘܒܐܝܕܗ
ܗܠܝܢ ܝܗܒ ܠܢ . ܗܘ ܕܒܟܠܗܝܢ ܕܝܠܢ ܡܬܢܣܝ ܐܝܟܢ ܣܛܪ
ܡܢ ܚܛܝܬܐ . ܡܛܠ ܚܝܘܕܐ ܕܒܣܪܐ ܟܝܢܝܐ ܕܡܢܢ . ܘܠܥܠܡ
ܕܠܐ ܒܘܠܒܠܐ ܒܚܝܘܕܐ ܕܟܝܢܐ . ܚܕ ܒܪܐ ܘܚܕ ܩܢܘܡܐ ܝܬܒ
ܕܝܡܝܢܐ . ܐܝܟܢ ܠܗ ܕܒܐܝܕܗ ܠܗ ܫܘܒܚܐ ܘܚܝܠܐ
ܘܣܓܕܬܐ ܗܫܐ ܘܒܚܝܐ ܕܠܐ ܫܘܠܡ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܀ ܡܢ
ܩܕܡ . . . . .

Id est :..... *Deus noster ; qui mediatorem accepit ex genere nostro et* (*bona*) *ista dedit nobis per hunc qui in omnibus nostris tentatus est sicut nos absque peccato* (2) *propter unionem carnis naturalis ex nobis, et in aeternum absque confusione per unionem naturarum unus filius* et una hypostasis *sedens ad dextram* ; *cui decet per ipsum gloria, potentia, adoratio nunc et in vita interminabili in saecula saeculorum. Antequam...*

(1) Nestorius aliquando admisit Christum *unum* esse, non vero physice sed moraliter; nec abnuit unam esse *personam* (πρoσῶπον) in Christo, sed hoc nomen sensu morali adhibuit, ita ut illa persona intelligatur composita ex duabus hypostasibus, et vera unitione naturarum abdicata, sola moralis sive juridica constituatur. Cfr. Synod. oecum. V. can. 4.

(2) Cfr. Hebr. IV. 25.

Hic igitur aperte profitetur ܚܕ ܩܢܘܡܐ *unam hypostasim*, quod omnino oppositum est loquendi modo Nestorianorum, ac proinde Isaacus ab accusatione nestiorianae haereseos jure absolvi posse videtur (1). Nam Syri Nestoriani qui non solum in re aberrant sed etiam in verborum definitione multum a sana philosophia recedunt, tenent de Christo has voces duali numero dici posse : ܐܘܣܝܐ (*substantia*), ܐܝܬܘܬܐ (*essentia*), ܟܝܢܐ (*natura*), ܩܢܘܡܐ (*hypostasis*) ; istas autem singulari numero : ܦܪܨܘܦܐ (*prosopon*), ܕܡܘܬܐ (*imago*), ܨܒܝܢܐ (*voluntas*), ܡܥܒܕܢܘܬܐ (*operatio*), ܚܝܠܐ (*virtus*), ܫܘܠܛܢܐ (*potestas*). Quare dicunt Christum habere duas substantias, duas naturas, duasque personas seu hypostases, unum autem prosopon, unum vultum, unam voluntatem, unam operationem : et hoc sensu esse unum filium et unum Christum (2). Isaaci fidem adhuc in malam suspicionem ad-

(1) *Videtur*, inquam, et non certum est ; nam aliquod dubium mihi remanet de authentia verborum quae exscripsi ; vox enim ܒܪܐ optime conjungeretur *immediate* cum ܡܬܒܥܐ ; praeterea tota periodus deest in codd. graecis quibus mos est non omittere nisi loca difficiliora ; imo graecus interpres in unicam phrasim verba ܡܢ ܩܕܡ cum verbis ܠܥܠܡ conjunxit ; quamvis autem sensum non sit assequutus, efformassetne unam periodum ex his verbis si inter ipsa reperisset ea quae citavi ? Hisce adde verbis ܠܥܠܡ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ finem sermonis insinuari, dum vero post haec adhuc sex lineae inveniuntur in codice : quae res aliam utique explicationem patitur (Cf. infra cap. II § 2), sed tamen haec omnia aliquam suspicionem adversus loci authentiam movent.

(2) Quando agitur de dogmaticis quaestionibus cum Nestorii discipulis, omnino attendendum est ad magnum discrimen quod ponunt inter ܩܢܘܡܐ (= ὑπόστασιν) et ܦܪܨܘܦܐ (πρόσωπον). Apud Graecos Latinosque, voces *persona*, *hypostasis*, *prosopon* fere promiscue usurpantur et quoad mysterium Incarnationis eumdem habent sensum, scilicet : substantiae in se subsistentis et proinde

ducere posset usus frequentissimus Theodori Mopsuesteni quem vocat, ܛܘܒܢܐ ܡܦܫܩܢܐ, *beatum Interpretem* (1), sed, praeter quam eo temporis ambitu quo vixit Isaacus Theodori opera nondum proscripta fuerant (2), observat Bickell etiam ab Isaaco citari Commentarium sancti Cyrilli in Genesim (3), unde merito concludit ex testimoniis quae in ejus operibus

incommunicabilis. Nestoriani vero ܩܢܘܡܐ intelligunt naturam per se subsistentem quae tantum mente percipiatur (Cf. Pet. Strozza, *de Dogmatibus Chaldaeorum* p. 145); ܦܪܨܘܦܐ autem intelligunt ipsam eamdem naturam ut sensui patet et per sensum cognocitur, paulo immutata graeca voce quae communiter significat uniuscujusque faciem. Propterea Christi Domini πρόσωπον appellant humanum ipsius adspectum, sub quo latebat persona Filii; et Spiritus Sancti πρόσωπον dicunt columbam et ignem, quibus sub speciebus apparuit; imo et Patris πρόσωπον ignem rubi quem videbat Moses. Hunc modum loquendi induxit Nestorius qui, ubi de personis sermonem habet, vocem ὑπόστασιν usurpat, cum vero ex homine Jesu et Deo Verbo unam personam conflatam asserit, vocem πρόσωπον adhibet ; et sic duas in Christo ὑπόστασεις et unum πρόσωπον admittere potuit, ut jam dixi. Cf. Assemani B. O. t. III, part. 2. pag. 218, 219.

(1) Nomen ܡܦܫܩܢܐ (*Interpres, Commentator*) Syri quasi propriam appellationem Theodori Mopsuesteni habent, (B. O. tom. III part. I pag. 17, 30, 37, 175, etc. ; II, pag, 940) ; quandoque etiam eam Jacobo Edesseno tribuunt (B. O. tom. I. pag. 426, 468, 475), raro quibusdam aliis (B. O. I, pag. 409 ; II, pag. 104, 118 ; III pag. 166, 168); eum etiam titulo Doctoris (ܡܠܦܢܐ) Nestoriani condecorant. Feria sexta post dominicam quartam ab Epiphania celebrant ܕܘܟܪܢܐ ܕܡܠܦܢܐ ܝܘܢܝܐ ܡܪܝ ܕܝܘܕܘܪܘܣ ܘܡܪܝ ܬܐܕܘܪܘܣ ܘܡܪܝ ܢܣܛܘܪܝܘܣ *Commemorationem*, scilicet, *Doctorum graecorum Mar Diodorus, et Mar Theodori, et Mar Nestorii*. (Cf. *Cat. Bibl. Vatican.* T. II. pag. 369.)

(2) Conc. Constantinop. II anno 553 celebratum fuit. Theodori errores compendiose exhibentur in hujus synodi can. 12 quo damnantur.

(3) Hujus nomen syriaca legendo non adverti. Dicit Bickell (loc. cit. p. 280) occurrere in edit. graec. Lipsiensi pag. 363.

allegantur Catholicos non pejori jure ac Nestorianos auctorem sibi vindicare posse.

Historicis documentis magis motus fuisse videtur cl. professor, et tandem timide asserit Isaaci fugam in monasterium orthodoxum deserti Scetensis, forsan non nisi ut reditum ex haeresi nestoriana in catholicam fidem considerari debere eo quod « suo tempore in Syria Persarum dominationi subjecta existentiam alicujus catholici monasterii ignoramus (1) ». Sed ista loquutus est Bickell in hypothesi quod Isaacus posterior fuerit Jacobo Sarugensi : quam sententiam supra haud probabilem esse vidimus. Nec intelligitur cur si revera haereticis addictus fuisset, ejus opera tantum obtinuissent favorem apud Orthodoxos, eorumque versionem monachi catholici confecissent (2).

Aliud et quidem non debile argumentum quo Isaacum nestorianae perversitatis fautorem non fuisse demonstrari potest, invenio in publico cultu quo apud Syros Jacobitas seu Monophysitas honoratur, ut statim dicam. Jam vero hoc nunquam fecerunt erga virum quem Nestorianismi vel suspectum habuere.

III. — Hisce omnibus mature perpensis, atque cum video Isaacum pari veneratione a Nestorianis et Monophysitis exceptum in hanc adducor conclusionem : hunc virum professione monachum, solitudinis et orationis amantem dogmaticis controversiis plane extraneum remansisse, ut saepius contigit hac aetate inter monachos (3). Mihi satis probabile videtur eum Aegyptum petiisse sub initio

(1) *Einleitung.* vol. cit. p. 280.

(2) Monachos monasterii s. Sabae prope Jerusalem in quo confecta fuit graeca versio operum Isaaci semper orthodoxae fidei addictos fuisse notum est.

(3) Rem probabiliorem reddit, quod nostri Auctoris nomen in professione fidei jacobiticae, quae in cod. Vatic. LI (fol. 81) legitur non reperiatur neque inter auctores rejiciendos, neque inter recipiendos.

regni regis Pherozis (1), id est, circa annum 460 ; cum jamvidebat omnia perturbata esse voluerit vir tranquillitatis et quietis amicissimus, qua in patria frui non poterat in aliena regione inquirere pacem.

§ IV.

ISAACI CULTUS.

Circa cultum Isaaci Ninivitae licet amplissimas collectiones hagiographicas vel liturgicas sedulo examinaverim paucissima reperi documenta.

In Martyrologio romano ejus nomen non occurrit nec de ipso mentio fit in magno opere Bollandistarum (2) neque in Maeneis Graecorum.

Publico cultu honoratur apud Syros Jacobitas qui ejus preces inseruerunt in suis libris liturgicis (3) eumque catalogo qui « *nomina Metropolitarum, Episcoporum et Doctorum* » continet adscripserunt (4).

Pariter ejus nomen legitur in *Catalogo Sanctorum orientalium ex libris Nestorianorum* » qui invenitur in cod. Vaticano XXXVII (fol. 189) (5).

Praeter haec nihil detegere potui.

(1) Pherozes, cujus favore impius Barsumas atrocissima scelera in nestorianae heresaeos inimicos commisit, regnavit annis 458-484. Cf. Bar Heb. *Chronic. eccl.* ed. cit. II. col. 65 sqq. et praesertim doctissimas editorum notas.

(2) *Act. Sanct.* T. II april. (die XI) pag. 29 sermo est de Isaaco Spoletano.

(3) Duae hujusmodi orationes quae ad officium horae *Sextae* recitantur infra, ad finem partis secundae, dabo.

(4) Cod. Vatic. XXXIX f. 9 *a* — *Catal. Bib. Vat.* t. II, pag. 277.

(5) *Cat. Bibl. Vatic.* t. II pag. 273.

CAPUT II.

DE ISAACI NINIVITAE SCRIPTIS

§ 1.

DE TEXTU PRIMIGENIO OPERUM ISAACI ET CODICIBUS QUIBUS SERVATUR.

An omnia quae vir sanctus composuerit scripta ad nos usque pervenerint definire haud possibile est. Satis probabile videtur temporum injuria excidisse aliqua, non vero multa. Quaedam etiam adhuc forsan latent in pulvere bibliothecarum Orientis. Attamen, cum ipsius sermones in graecam linguam ante duo saecula post mortem Auctoris translati fuerint atque codices graeci hujus versionis cum syriacis conveniant, haud immerito quis judicaret ferme integra esse quae hodiedum habemus opera.

Re quidem vera in suo *Catalogo* Ebed Jesu (1) de nostro Isaaco scribit :

ܐܝܣܚܩ ܕܢܝܢܘܐ ܡܠܠ ܒܡ̈ܠܝܢ .
ܦܫܩ ܥܠ ܕܘܒܪܐ ܪܘܚܢܐ .
ܘܥܠ ܐ̈ܪܙܐ ܐܠܗܝ̈ܐ .
ܘܕܝ̈ܢܐ ܘܡܕܒܪܢܘܬܐ ܀

(1) Ebed Jesu, metropolita Sobae (Nisibis), qui anno MCCCXVIII e vita migravit, inter plura alia opera, conscripsit ligata oratione *Catalogum librorum Chaldaeorum tam ecclesiasticorum quam profanorum*, quem primus edidit Abraham Ecchellensis (Romae an. MDCLIII), et iterum typis mandavit, eruditis observationibus adjectis, J. S. Assemanus in sua *Bibliotheca Orientali* (Tomo III, part. I, pagg. 1-362).

Id est : « *Isaacus Ninivita septem tomos — composuit de regimine spirituali — de divinis mysteriis — de judiciis et de politia.* »

Quid vero sit intelligendum per ista septem ܦܢ̈ܩܝܢ sive ܦܠܓ̈ܘܢ, ut alius codex habet, meam sententiam hac de re postea proferam. Interim ex ipsis syriacis codicibus qui hodie noscuntur catalogum Isaaci operum conficiam.

Inter codices in Europam hucusque advectos quatuor sunt praecipui quibus opera ista continentur : duo Romae in Bibliotheca Vaticana duoque Londini in Musaeo Britannico servantur.

Codices Londinenses quibus usus sum in hac Dissertatione conficienda inter addititios (*Additionnal manuscripts*) numm. 14632 et 14633 signantur (1) ; uterque ad illam amplissimam collectionem, quam anno XLIII hujus saeculi acquisivit Musaeum, pertinet (2).

Cod. 14632 altero antiquor ad saeculum X referendus est quantum ex forma scripturae judicare licet. Conscriptus est in membranis charactere nestoriano, syriacis vocalibus hic illic appositis. Valde mutilus exstat. Constabat primitus decem et octo quinternionibus quorum singuli litteris notabantur. Duo priores penitus interierunt atque suppleti sunt per XVII folia bombycina, exscripta decurrente saec. XIII. Quinterniones qui signantur litteris ܘ, ܐ, ܝ valde imperfecti sunt. In hodierno statu iste codex habet folia 149 continua serie recentius notata, etsi post folia 45, 47, 48, 50, 51, 59, 78, alia desint. Folia quae signantur 45-49, 52, 53, 60, 61, 68, 70, 79, 149 adeo maculata sunt ut vix aut ne

(1) In *Catalogue of syriac manuscripts* a Wright edito, sub numm. DCXCV et DCXCIV describuntur.

(2) De historia et momento hujus pretiosae collectionis cf. Wright, *Cat. cit.* Tom. III, praef. ; Abbeloos, *Les Manuscrits syr. de Londres*, in ephemeride : *Revue Catholique de Louvain*, sept. 1874 ; T. J. Lamy, *Bulletin de l'Académie roy. de Belgique*, 2e sér. Tom. **XLIX**, 1880.

vix quidem legi queant. Singulae paginae habent lineas circiter triginta (26-33). Marginae quasdam receperunt adnotationes, ad explanationem textus extraneas (1). Primo folio inscribitur etiam longissima adnotatio (2) ex qua docemur codicem pertinuisse ad monasterium S. Mariae Deiparae in deserto Scetensi.

Codex 14633 praecedenti paulo recentior ad finem saeculi XI referri potest; primum et ultima folia (circiter tertia pars codicis) excidere ; remanent hodiedum folia 109 quae efformant quinterniones undecim. Primum folium (quod erat secundum voluminis integri) valde maculatum et laceratum apparet. In hoc et in sequenti leguntur recentiori

(1) V. g. legitur fol. 2 haec norma atramentum fabricandi :
ܐܢ ܨܒܐ ܐܢܬ ܡܣܒܪܐ ܕܝܘܐ ܣܒ ܩܠܦ̈ܐ ܕܥܩܪܐ ܕܐܝܠܢܐ ܕܡܫܬܟܚ ܒܡܕܒܪܐ ܗܢܐ
ܘܡܬܩܪܐ ܐܪܛܐ ܘܕܘܩܝܗ ܟܕ ܗܘ ܪܛܝܒ ܘܒܫܠܝܗ ܥܠ ܢܘܪܐ ܐܝܟܢܐ ܕܣܢܝܩ ܒܚܡܪܐ
ܐܘܟܡܐ ܘܒܚܠܐ ܕܚܡܪܐ . ܘܡܢ ܒܬܪ ܟܢ ܬܡܣ ܘܬܘܣܦ ܠܟܠܗܘܢ ܚܣܝܪܬܐ ܩܠܩܢܬ
ܘܨܡܓܐ ܥܪܒܝܐ . ܕܒܗܠܝܢ ܟܬܒܝܢ ܐܒ̈ܗܬܐ ܡܨܪ̈ܝܐ ܕܒܐܣܩܝܛܝ ܗܘܘ
ܒܡܕܒܪܐ ܗܢܐ ܕܐܣܩܛܝܣ . ܘܨܠܝ ܥܠܝ ܐܚܝ *
Id est : *Si vis habere atramentum pro membranis accipe corticem radicum arboris quae invenitur in hoc deserto et vocatur* arta * ; *contere eum dum recens est et coque super ignem, quantum est necesse, in vino nigro* (= *rubro*) *et aceto vini. Postea liqua et adde paululum chalchanti* (?) *et gummae arabicae* (صمغ عربي) : *harum ope scribebant Patres Aegyptiaci qui in hoc deserto Scetensi habitabant. Ora pro me frater.* » — Qua methodo haud contentus lector alius aliam tradit (fol. 17*b*). ܐܢ ܨܒܐ
ܐܢܬ ܕܬܥܒܕ ܕܝܘܬܐ ܕܪܘܩ . ܐܘܣܦ ܚܒܪܐ ܐܘܟ ܥܦܨܐ ܐܝܟ ܚܡܪܐ ܘܫܡܛ
ܠܟܠܗܘܢ ܚܕܐ ܘܚܡܪܐ ܠܡܫܚܐ ܟܡܐ ܕܣܢܝܩ ܘܒܬܪ ܓ̈ܢ ܡܕܘܦ ܠܗܘܢ ܘܬܡܣ ܠܗܘܢ ܐܠܝܢ
ܘܫܡܛ ܟܬܢܐ ܘܐܘܪܟ ܠܟܠܗܘܢ ܡܠܚܐ ܐܠܝܢ ܘܗܘ ܡܬܟܬܒ *
(2) Textus syriact s legitur apud Wright. *Cat. cit.*

* ارطى Nomen arboris crescentis in arenis flore saligneo, fructu ziziphino, amaro, radicibus ramulisque rubris, cujus recentiore fructu vescuntur cameli, cortice autem coria concinnantur. (Freytag. *Lex. arab.*)

manu addita excerpta varia e *libro Paradisi* (1). Habet singulum folium lineas circiter triginta duas (29-34). Marginis satis amplis impositae sunt *elucidationes* (ܢܘܗܪܐ) eadem ac ipse codex manu exaratae atque *lectiones variae* ܒܪ̄ (= ܒܪ ܢܘܣܚܐ) saeculo XII vel XIII additae. Quantum judicare potui ex comparatione utriusque codicis omnes istae lectiones variae ex cod. 14632 desumptae sunt, ita ut vix dubium esse possit juxta hunc, praesentem codicem correctum fuisse ; nam etiam voculae ut ܕܝܢ ܓܝܪ ceteraeque hujusmodi, praeter necessitatem, ad normam cod. 14632 rescriptae sunt. Textus in utroque omnino idem est et si codex 14633 ex codice 14632 excriptus non fuit, quod satis probabile videtur, certe uterque ex eodem fonte procedit.

Incipiunt opera Isaaci folio 2*b* cum hac inscriptione :

ܡܪܝ ܥܕܪܝܢܝ ܀ ܡܪܝ ܣܟܠܢܝ ܀ ܡܪܝ ܚܝܠܢܝ ܀ ܒܚܝܠܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܡܫܪܝܢܢ ܠܡܟܬܒ ܟܬܒܐ ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܝܣܚܩ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܢܝܢܘܐ . ܦܠܓܘܬܐ ܩܕܡܝܬܐ ܀

Id est : *Domine adjuva me. Domine instrue me. Domine robora me. In virtute Domini nostri Jesu Christi incipimus describere librum sancti Mar Isaac Episcopi Ninives. Pars prima* (2).

Folio 109 deficit codex medio sermone LIX in haec verba :

.... ܗܢܐ ܒܥܘܬܐ ܒܡܠܬܐ ܕܬܠܝܬܝܐ .

Duo codices Vaticani in Cat. assemaniano (3) describuntur

(1) ܟܬܒܐ ܕܦܪܕܝܣܐ . Sic vocatur liber *Vitarum Patrum*, auctore Palladio.

(2) Mihi videtur hanc primam partem sex tantum prioribus capitibus constitisse. Cf. infra, pag. 37 n. 1.

(3) Tom. III, p. 143 sqq.

sub num. CXXIV et CXXV. Utriusque multa loca deleta sunt ita tamen ut saepius invicem se compleant.

Codex CXXV (olim Nitriensis XXII) stronghelicis litteris in membranis exaratus vetustissimus est et ad saeculum X sine dubio referri potest. Prima folia exciderunt : remanent tantum 211 quorum primam et majorem partem (foll. 1-145) occupant Isaaci opera inde a sermone XVI. Sequitur (fol. 145-158) Epistola Philoxeni Mabugensis de qua supra dixi (1). Hanc excipiunt sermones ascetici XXVII Johannis Sabae (fol. 158-211).

Codex CXXIV (olim Nitriensis XXI) quem putat Assemanus ex praecedenti descriptum fuisse — numeri enim numeris, capita capitibus plane respondent, — ejusdem est formae (in-4°) quatuor tamen saeculis posterior, jacobitico charactere descriptus rogatu Marci monachi et presbyteri. Pertinuit ad monasterium Syrorum in deserto abbatis Macarii in monte Sciahit (2) ut docet adnotatio arabica quae legitur fol. 350*b*.

Constat foliis papyraceis 350. Tenent Isaaci opera primam partem, id est, ab initio usque ad folium 273 ubi legitur hic colophon : ܫܠܡ ܠܡܫܠܡܘܬܗ ܒܡܥܘܕܪܢܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ

ܦܪܘܩܢ ܦܠܓܘܬܐ ܩܕܡܝܬܐ ܕܡܠܦܢܘܬܗ ܕܡܪܝ ܐܝܣܚܩ

ܝܚܝܕܝܐ ܥܠ ܕܘܒܪܐ ܕܕܝܪܝܘܬܐ . ܨܠܘܬܗ ܥܡܢ ܐܡܝܢ ܀

Id est : *Explicit ope Christi salvatoris nostri pars prima doctrinae Mar Isaac eremitae de institutione monastica. Ejus oratio nobiscum. Amen.*

Reliquam codicis partem occupant Johannis Sabae sermones ascetici iidem qui in cod. 125 reperiuntur. Exulat vero ab hoc manuscripto Epistola Philoxeni quae in praecedenti legitur. Praeter istos codices adhuc alii adsunt in

(1) Cf. supra pag. 14.

(2) دي جبل سهيت — Σκῆτις coptice *Schiêt* i. e. *Trutinam cordium*, sonat.

quibus unus plures ve sermones Isaaci integri aut fragmenta quaedam servantur. Huc spectant sex codices Londinenses sequentes :

1° Add. msc. 14577 (Catal. Wright DCCXCIII) saec. IX, qui continet foll. 84*b* et 94*a* duo fragmenta. (Cf. seq. catalog. sub num. LXXXVI et LXXXIX).

2° Add. msc. 14728 (Wright nn. DCXCVI et DCCCXL) qui habet : *a*) f. 76*a* excerptum quoddam (serm. XIV) ; — *b*) f. 209-237 quinque sermones (XVII, XVIII, LVI, LXXVII, LXXXI) ; — *c*) f. 237 fragmentum (serm. II).

3° Add. msc. 14729 (Wr. DCCCXXXII et DCCCXXXIX) qui continet: *a*) fol. 102 fragmentum (serm. XV) ; — *b*) fol. 103 unum sermonem (XVII) ; — *c*) foll. 188-192 excerpta tria (n. LXXXVI).

4° Add. msc. 14732 (Wr. n. DCCCXXXVI) qui continet, foll. 233-236, duos sermones (XLIV, LXXXIV) et unum fragmentum (serm. LXXXV).

5° Add. msc. 17262 (Wr. n. DCCCXXXVII) qui continet, fol. 146-150, sermones integros aut mutilos quinque (XIV, XV, XVII, VIII, XXXVI) — et excerptum quoddam (serm. XVIII) (1).

6° Cod. Rich. 7190 qui foll. 309-319 longum excerptum continet.

Huc quoque referendi codices Parisiensis 16, Londinensis add. msc. 14723 aliique libri liturgici qui varias Isaaci preces continent.

Praetermitto codicem Musaei Britann. add. 14504 qui ad marginas foll. 163*b*, 164*a* et 164*b* tria brevissima fragmenta operum Ninivitae exhibet, necnon alios codices in quibus tantum prolationes ex Isaaco occurrunt.

Notat Maius (2) in Bibl. Vaticana servari codicem

(1) In *Catal.*, auctori anonymo tribuitur istud fragmentum. Suspicor etiam Isaaci Ninivitae esse excerpta quae foll. 152-156 sine auctoris nomine indicantur.

(2) *Nova Collectio Vet. Script.* Romae, 1831. Tom. V, pag. 42¹.

(Assemanianum 110) literis chaldaicis exaratum, constantem foliis membranaceis 63 formae in-4°, qui ad saeculum VIII referri potest. In isto codice, juxta Maium, continentur S. Isaaci Ninivitae sermones de Institutione monastica in duas partes divisi sed initio et fine mutili. Vir tamen qui codicem inspexit eum in pessimo statu jacere atque in plurimis foliis vix legi posse, nec hanc divisionem in duas partes apparere, mihi significavit. Folio 1*b* incipit sermo *de Patientia* (LX in seq. catalogo).

Duo etiam codices Berolinensis excerpta Isaaci Ninivitae continent : alter *Quaestiones et Responsiones*, alter *Epistolam* (1).

Non est dubium inter opera, quae de monastica tractant vita, sine nomine auctoris in variis collectionibus Syrorum scriptorum servata, fragmenta nostri Isaaci occurrere, et alios adhuc in Oriente latentes codices ejus opera tam frequenter descripta continere (2).

Praeterea recenter inlatus fuit in Bibl. Nation. Paris. quidam codex antiquus quem si antequam Londinum proficiscarer notum habuissem utiliter cum codicibus Musaei Britannici conferre potuissem. Iste codex qui signatur n. 298 forsan plura Isaaci excerpta continet sine tamen auctoris nomine.

Observandum est quoque in plurimis libris aut codicibus mendosas adnotationes occurrere circa Isaacum ejus ve opera. Sic in Catalogo codicum msc. syriac. parisiensium legitur

(1) Cf. E. Sachau, *Verzeichniss der Sachau'schen Sammlung syrischer Handschriften*. Berlin, 1885, pag. 19 ; n. 202-205. — Nota duo ista fragmenta in collectione scriptorum *Jacobitarum* includi ; unde confirmatur quod supra dixi (pag. 25) Isaacum ut nestorianum a suis habitum non fuisse.

(2) Greg. Ebed Jesu archiep. civitatis Diarbekir (Amidae), in epistola quae colligata fuit cum codice syriaco Paris. 298, testatur se vidisse plures codices opera Isaaci continentes inter quos praeclarum codicem membraneum ad usum ecclesiae Chaldaeorum mardinensium.

cod. 195 contineri Epistolam Isaaci Ninivitae ; sed ipsius operis inscriptio est : ܐܓܪܬܐ ܕܐܝܣܚܩ ܕܩܠ̈ܝܬܐ « *Epistola Isaaci Cellarum* » (1).

In Catalog. codd. syriac. Musaei Britannici fragmentum quod legitur in cod. Orient. 1017 (fol. 109) nostro Auctori tribuitur ; in textu autem Ninivitae nomen non occurrit et alii codd. diserte opus Isaaco Antiocheno adscribunt.

In codice Hunt. 595, Bibli. Bodl. Oxonii continetur (fol. 89 sqq.) tractatus metricus cujus inscriptio latine sic sonat : *Homilia Mar Isaaci Ninivitae, in metro Mar Ephraemi, de hymnis metricis, quibus in precando in suum solatium utuntur monachi, per noctes post ministrationes finitas cantantes, ut e somno corpus levetur* (2). Jam vero nullibi apparet Isaacum Ninivitam aliquid ligata oratione scripsisse.

Vidi etiam Londini duos codices recentius emptos, inter codices *Orientales* numm. 4075 et 4076 signatos, qui juxta Catalogum (*List of msc. acquir. from* 1890) continent Isaaci Ninivitae opera metrica (*Isaac's of Nineveh metrical discourses syriac*), quae adnotatio etiam in compagine utriusque codicis apposita fuit (3) ; sed revera continent

(1) *Catal. des manuscrits syr.*, pag. 139. — Isaacus Cellarum monachus et presbyter saeculi IV sacras functiones peragebat inter anachoretas qui in regione deserti Libyci quae Cellia sive Cellae appellatur habitabant. De isto cfr. Tillemont, *Mémoires pour l'hist. ecclés.* Tom. VIII, pag. 622.

(2) Cf. *Cat. Bibl. Bodl.* part. VI, col. 432. — Codex non est saeculo XV antiquior. Homilia germanice habetur apud Bickell (*Bibl. der Kirchenväter*, vol. cit. pag. 400 sqq.). De auctore haec adnotat cl. interpres : « Das ausdrückliche Zeugniss der Uberschrift wird hier durch die Ubereinstimmung der Gedanken und Ausdrücke mit dem ascetischen Werke bestätigt : namentlich gestattet die ganze Art des Gedichtes nicht, den Antiochener Isaak als Verfasser zu vermuthen. » (Ibid. pag. 287).

(3) Codex 4075 saepius in initio aut fine sermonum habet verba : ܕܡܪܝ ܐܝܣܚܩ ܥܠܘܝܐ ܣܘܪܝܝܐ, sed in cod. 4076 qui ab initio mutilus

opera Isaaci Antiocheni et qui in eis reperiuntur sermones omnes jam a Bickell notati sunt (1).

Talis est analogia inter quatuor praecipuos codices ut ab eodem fonte derivari censendi sint. Textus vero in eis servatus in capita dividitur modo plura modo pauciora. Satis probabile videtur librum primitus inscriptionem generalem non habuisse, sed tractatus et sermones vario tempore diversisque rerum adjunctis ab Isaaco compositos, non ab ipsorum auctore sed, sequiori aetate, cura cujusdam monachi collectos et prout illi occurrebant, ordine rerum penitus neglecto, in unum volumen compactos fuisse. Hoc confirmat inscriptio versionis graecae quae hunc habet titulum : Ἰσαὰκ τὰ ἀσκετικὰ. — Ab initio etiam divisiones multo minores numero fuisse plura suadent; et adnotationes quae primum ad marginam a lectoribus appositae fuerant ut titulos a subsequentis aetatis amanuensibus habitas fuisse inspectio codicum demonstrat.

Itaque supra descriptis codicibus inter se collatis, sequentem Isaaci operum catalogum conficere licuit, in quo texendo codicem qui majorem numerum divisionum exhibebat sequendum esse putavi, ut si in aliis codicibus sermones separati aut fragmenta quaedam occurrant facilius eorum reperiatur locus. Cum vero inter se satis discrepant codices referendo titulos (2), loco syriacae inscriptionis, ejus quasi compendium ex codice ubi melius cum dictorum sensu con-

est, prima folia recentiori manu ex codice 4075 suppleta fuerunt et scriba, proprio marte, epitheton ܕܐܫܠܘܐ Isaaci nomini perperam addidit.

(1) *S. Isaaci Antiocheni doct. Syror. opera omnia*, part. I, Gisae 1873.

(2) V. gr. sermo in seq. catal. sub num. XLI positus in cod. Londin. 14633 inscribitur : *Consilia amoris*, in codice autem Vatic. 124 habet titulum : *Epistola ad quemdam monachum* ; sermonis XLVI, qui in cod. Vatic. 125 inscribitur : *De fide et poenitentia*, titulus in cod. Lond. 14633 est : *Verba utilia et sapientiae plena*, etc.

veniebat desumpsi et latine tantum expressi, additis singulorum sermonum initio et fine.

§ II.

CATALOGUS OPERUM ISAACI NINIVITAE.

A. — OPERA GENUINA.

I. *De monastica Institutione, sermo primus.* — (Assem. B. O. t. I, p. 446 sqq. Lib. II, Sermo I).
Mus. Brit. Codd. add. 14633 f. 2*b* ; 14632 f. 2*b* ; — Cod. Vatican. 124 f. 1*a*.
Incip. : ܡܐܡܪܐ ܐ. ܕܚܠܬ ܐܠܗܐ ܪܫܐ ܗܝ ܕܡܝܬܪܘܬܐ . . .
Desinit : . . . ܘܫܘܒܚܐ ܗܘܐ ܘܒܟܠܙܒܢ ܘܠܥܠܡ ܠܥܠܡܝܢ ܀

II. — *in idem argumentum, sermo secundus* (1). — (B. O. I, lib. II, 2).
Codd. 14633 f. 4*b* ; 14632 f. 4*b* ; 14728f. 237*a* ; — 124 f. 7*a*.
Incip. : ܡܐܡܪܐ ܒ. ܡܘܬܒܐ ܕܫܠܝܘܬܐ ܘܡܣܒܥܐ ܡܟܝܟܝܢ ܠܗܘܢܐ...
Desinit : . . . ܗܘܢܐ ܚܟܝܡܐ ܡܢ ܡܪܟܒܬܗ ܫܡܝܢܝܬܐ ܕܡܫܝܚܘܬܐ ܀

III. — *sermo tertius* (2). — (B. O. I, lib. II, 3-7).
Codd. 14633 f. 7*b* ; 14632 f. 7*b* ; — 124 f. 13*a*.
Inc. : ܡܐܡܪܐ ܓ. ܥܠ ܢܦܫܐ ܕܡܬܚܫܚܐ ܕܡܬܪ̈ܦܝܬܐ ܠܐ ܗܘܬ . . .
Des. : . . . ܘܫܘܒܚܐ ܠܗ ܡܢ ܟܠ ܐܦ ܗܘܐ ܘܒܟܠܙܒܢ ܠܥܠܡܝܢ ܀

IV. — *sermo quartus.* — (B. O. I, lib. III, 1 et 4).
Codd. 14633 f. 12*b* ; 14632 f. 11*a* ; — 124 f. 26*b*.
Incip. : ܡܐܡܪܐ ܕ. ܢܦܫܐ ܕܠܐ ܚܠܗ ܡܫܡܠܝܐ ܒܐܠܗܐ ܒܟܘܫܪܐ ܢܦܫܗ...
Des. : ..ܘܠܐܒܘܗܝ ܘܠܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܠܥܠܡܝܢ ܀

(1) In duas sectiones dividitur ille sermo in cod. 14633 ; altera incipit verbis... ܡܢ ܠܒܗ ܕܕܘܝܐ

(2) Iste sermo tertius etiam in cod. 14633 in quinque sectiones dividitur iisdem titulis distinctas qui in B. O. notantur.

V. — *sermo quintus.* — (B. O. I, lib. III, 2).
Codd. 14633 f. 18*a* ; 14632 f. 16*a* ; — 124 f. 41*b*.
Incip. : ...ܡܐܡܪܐ ܗ . ܐܫܝܢ ܠܟܠܗ ܐܡܪܐ ܠܒܪܢܫܐ ܒܡܥܠܝܬܐ...
Des. : ... ܘܡܫܒܚܬܐ ܗܝ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܡܢ ܬܘܕܝܬܐ ܕܠܥܠܡ ܀

VI. — *sermo sextus.* — (B. O. I, lib. III, 3).
Codd. 14633 f. 23*b* ; 14632 f. 22*a* ; — 124 f. 55*b*.
Incip. ܡܐܡܪܐ ܘ . ܗܘ ܕܐܢܫ ܢܫܬܡܥ ܒܟܠܡ ܒܝܬ ܩܪܝܐ ܕܫܡܥܬܐ...
Des. (1) : ...ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܘܣܓܕܬܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܀

VII. *Le fiducia in Deum.* — (B. O. I, lib. III, 15).
Codd. 14633 f. 28*b* ; 14632 f. 28*a* ; — 124 f. 68*a*.
Incip. : ܐܝܟ ܬܘܟܠܢܐ ܕܥܠ ܐܠܗܐ ܒܡܗܝܡܢܘܬܐ ܕܠܒܐ . . .
Desin. : ... ܒܡܠܘܗܝ ܡܢ ܡܫܝܚܐ ܐܠܗܐ ܠܐܠܗܘܬܗ ܀

VIII. *Qua ope ad Deum quis accedere possit.* — (B. O. I, lib. III, 8).
Codd. 14633 f. 29*b* ; 14632 f. 30*a* ; 17262 f. 148*b* ; — 124 f. 72*a*.
Incip. : ܢܥܕܘܗܝ ܠܒܪܢܫܐ ܕܢܝܫ ܡܫܟܚܢܘܬܗ . . .
Desin. : ... ܠܘܬ ܐܠܗܐ ܚܝܘ ܗܘ ܡܕܒܪܢܐ ܕܐܝܕܝܥܬܐ ܀

(1) In omnibus codd. hic sermo absolvitur hac adnotatione : ܫܠܡ ܫܬܐ ܡܐܡܪܝܢ ܕܥܠ ܕܘܒܪܐ ܕܝܚܝܕܝܘܬܐ [ܕܡܬܦܪܫܝܢ ܒܪܝܫܐ ܙܥܘܪܐ]: id est : *finis sex sermonum de institutione monastica*, (*qui per brevia capita disponuntur*). — Suspicor haec sex capita unum ex septem tomis Ebedjesu efformasse. Cf. pag. 26. Ceteroquin attente legenti hunc catalogum patebit quosdam sermones speciali conclusione terminari, doxologia nempe sanctissimae Trinitati concinnata et in formulam ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ . ܐܡܝܢ desinenti. Jam vero octo hujusmodi conclusiones invenio (ad finem sermonum VI, XXVII, XXXVI, LIII, LXV, LXVIII, LXXII, LXXXIII), et puto unamquamque primitus finem notasse alicujus partis distinctae operum Isaaci : ita ut septem tomi quos vidit Ebed Jesu in nostris codicibus contineantur. Mirum enim esset, cum tanti facta sint opera ista apud monachos et tam saepe descripta, unam tantum, ut insinuare videntur nostri codices, ex septem partibus, ad nos pervenisse; de aliis vero, nihil sive in ipso textu sive in versionibus occurrere.

IX. *De peccatis : quae ex consilio et mala voluntate quaeque casu fiant.* — (B. O. I, lib. III, 9).

Codd. 14633 f. 31*b* ; 14632 f. 31*b* ; — 124 f. 77*a*.

Incip. : ܐܝܠ ܣܝܡܬܐ ܕܡܢ ܡܫܡܠܝܘܬܐ ܘܡܬܪܥܝܢܝܬܐ ܡܬܡܠܠܝܢ ܒܗ.

Desin. : ... ܒܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܝܠܢ ܐܦܠܐ ܠܡܠܐ ܒܣܘܪܩܐ ܕܡܘܢܝܐ ܀

X. *De poenitentia : quorsum spectant verba Scripturae circa poenitentiam.* — (B. O. I, lib. III, 10).

Codd. 14633 f. 32*b* ; 14632 f. 32*b* ; — 124 f. 81*a*.

Incip. : ܠܡܠܦܢܘܬܐ ܕܩܢܘܡܝ̈ܗܝܢ ܠܝܗ ܐܒ̈ܗܝܢ ܒܡܠܦܢܘܬܗܘܢ . . .

Desin. : ...ܕܢܬܠܡܕܘܢ ܘܡܫܬܡܥܝܢ ܕܡܠܘܠܘܬܐ ܠܠܡܕܝܢ ܠܒܢܝܢ ܀

XI. *Quibus conservetur vitae anachoreticae decus et quomodo gloria Dei procuranda sit* (1). — (B. O. I, lib. III, 11).

Codd. 14633 f. 33*b* ; 14632 f. 34*a*; — 124 f. 85*a*.

Init. : ܐܦܢ ܠܗ ܡܬܒܥܐ ܠܡܫܡܫܢܐ ܕܡܢܝ ܒܠܒܗܘܢ ܚܣܝܪܘܬܗ...

Finis : ...ܐܪܐ ܕܢܫܬܠܡܐ ܡܢܝ ܩܕܡ ܡܟܣܢܘܬܗ ܕܡܢܝ ܗܢܐ ܠܠܡܐ ܀

XII. *Quod non deceat monachum ob timorem non assequendi veritatem ab ea inquirenda desistere.* — (B. O. I, lib. III, 12).

Codd. 14633 f. 34*b* ; 14632 f. 34*b* ; — 124 f. 87*a*.

Init. : ܐܠܐ ܐܢܘ ܢܟܦܐ ܕܒܗܘܢ ܡܠܕܪܝܢ ܒܠܗ ܦܗܝܐ ܕܒܪܢܫܐ...

Finis : . . . ܐܠܗܐ ܡܫܒܚܢܘܬܐ ܕܢܒܗܘ ܘܒܢܘܗܝ ܒܬܪܥܝܬܐ ܀

XIII. *De mutationibus quae anachoretis accidere solent.* — (B. O. I, lib. III, 13).

Codd. 14633 f. 35*a* ; 14632 f. 35*a* ; — 124 f. 89*a*.

Init. : ܐܢܫ ܕܝܢ ܕܦܠܓ ܒܪܬܠܡܗ ܕܒܪܘܚܐ ܠܡܬܕܒܪܢܐ . . .

Finis : . . . ܘܡܛܘܒܐ ܕܒܪܩܠܐ ܡܠܐ ܠܗ ܠܒܠܗܘܢ ܀

XIV. *De solitariis.* — (B. O. I, lib. III, 14).

Quae etiam diximus de modo quo facta videtur collectio operum Isaaci confirmat quod in graeca versione irrepserint tres sermones Johannis Sabae qui nostro Auctori adscripti sunt etiam in quibusdam codicibus graecis ubi separatim exstant (1).

De perfectione hujus versionis plura observanda essent. Generatim omittit loca difficilia et cum Isaacus unus sit ex difficillimis inter Syros scriptores multum abest ut sit integra translatio. Saepe sensum auctoris interpres non est assequutus. Verba graeca verbis syriacis apprime quidem respondent, et sic utilis esse potest ut determinetur significatio vocum syriacarum quae in Isaaci operibus occurrunt ; sed periodis sensus omnino falsus haud raro subjicitur. Non tanta cura eam examinavi ut certum judicium de ipsa ferre valeam ; attamen recordor in primo libro loca omissa numero majora esse, convenientiam verbalem inter textum et versionem adaequatissimam, et loquutiones perperam redditas numerosiores ; e contra insecundo libro omissiones esse rariores, sensum veriorem sed minus litteralem ac in primo. Unde suspicor primam partem ab uno alteram ab altero interprete confectam fuisse. Inde forsan quaerenda est divisio operis in duas sectiones in graecis codicibus.

Illa graeca translatio, juxta recensionem quae ex syriaco immediate procedit, edita est Lipsiae anno MDCCLXX

(1) In cod. Parisiensi 1076 sibi immediate succedunt (f. 66*a*-75*a*). Habet titulum primus : περὶ φυλακῆς τῆς καρδίας ; et incipit : ὁ κολύων τὸ στόμα αὐτου... Est sermo I Sabae (B. O. t. 1, p. 436). — Secundus : περὶ ἀποταγῆς κόσμου ; incipit : ὅταν ἀγαπήσωμεν φυγεῖν ἐκ τοῦ κόσμου... Est sermo XX Sabae (B. O. t. I, p. 440). — Tertius : περὶ τάξεως τῶν ἀρχαρίων ; incipit : αὕτη ἐστὶν ἡ τάξις ἡ σώφρων... Est sermo VIII Sabae (B. O. t. I, p. 437).

curis Nicephori Theotoki monachi, qui postea archiepiscopus Slabinensis et Chersonensis sedem Astrakani tenens factus est (1). Secum vero abtulit in Graeciam vel in Moscoviam pene omnia hujus editionis exemplaria et sic adeo rarus evasit liber ut exemplar « tota fere Europa quaesitum » non invenerit eruditissimus card. Maius (2). Dolent pariter Cyrillus (3), Zingerle (4) aliique quod eum inspicere non potuerint. Revera non est cur eos pigeat. Postquam et ego frustra per omnes Urbis Parisiensis bibliothecas librum quaesiveram, exemplar quod possidet Universitas Lipsiensis, (teste Bicke (5), qui eo usus est) examinare volui ; sed quamvis in catalogo notetur, in bibliotheca repertum non fuit ; denique aliud in Musaeo Britannico inveni, quo inspecto, novi illam editionem eumdem, qui in variis codicibus servatur, textum continere arbitrario modo ab editore dispositum ; praefationem non esse nisi graecam versionem eorum quae de nostro Isaaco habent Fabricius (6) et Assemanus ; notasque hic illic a Nicephoro additas parvi esse momenti : uno verbo artem criticam penitus deficere nec editionem iis laudibus dignam esse quibus celebrata fuit in recensionibus quae suo tempore prodierunt (7).

(1) Titulus integer est : Τοῦ ὁσίου Πατρός ἡμῶν Ἰσαὰκ, ἐπισκόπου Νινευΐ, τοῦ Σύρου, τὰ εὑρεθέντα ἀσκετικὰ, ἀξιώσει μὲν τοῦ μακαριωτάτου θειοτάτου καὶ σοφωτάτου πατριάρχου τῆς ἁγίας πόλεως Ἱηρουσαλὴμ καὶ πάσσης Παλαιστίνης, κυρίου Ἐφραΐμ : ἐπιμελείᾳ δὲ Νικηφόρου ἱερομονάχου τοῦ θεοτόκου . ἤδη πρῶτον τύποις εκδοθέντα. — Ἐν Λειψίᾳ τῆς Σαξονίας, ἐν τῇ τυπογραφίᾳ τοῦ Βρεΐτκοπφ, ᾳψο΄. — Impressum est opus in charta majoris formae in-8°.

(2) *Nova bibliot. Patrum*, tom. VIII, Romae, 1871, part. III, p. 156.

(3) *Codices Neapolitani*, tom. I, pag. 135.

(4) *Monumenta syriaca*, tom. I, praef.

(5) In *Einleintung* sup. laud.

(6) *Biblioth. graec.* ed. Harles, tom. XI, pag. 114.

(7) Congruam recensionem editionis dederunt *Nova acta eruditorum* Lipsiae vulgata, (Jun. 1770, pag. 283). — Aliam autem

Antea jam quoddam fragmentum graecum publici juris fecerat Petrus Possinus in *Thesauro Asceticorum* 1). Illud fragmentum, cui titulus fecit Περὶ λογίσμων, *de cogitationibus*, convenit sub initio cum fine sermonis syriaci II, sed unde medium et finis deprompta sint reperire nequivi.

IV. — Ex graeco in *latinum* idioma transiit pars quaedam operum Isaaci (2). Serviliter sequutus est latinus interpres graecum textum ; immo haud raro sensum non intellexit et quae jam satis obscura graece erant omnino inintelligibilia reddidit, eo praesertim quod, deficiente sane interpunctione, non bene distinxerit varias periodos, et ex sententiis plane diversis unam phrasim saepe constituerit (3). Hujus latinae versionis plures exstant in variis Occidentis bibliothecis codices quos recensere supervacaneum habui.

Prima vice typis mandata fuit Venetiis, anno MDVI, sine nomine typographi aut editoris, cum titulo : *Sermones beati Isaac de Syria* (4). Prodiit quasi efformaret unum librum

dedit J. A. Ernestius in sua *Neüeste theologische Bibliothek* (1 Band, 1 stück, Lipsiae, 1771, pag. 134-145), in qua plura tam audacter dicta invenies ut auctoris arrogantiam retundere non dubitavit ejus correligionarius Saxius (*Onomasticon litterarium*, ed. 2ª, 1775, pag. 475). Nec video qua ratione possint esse haec opera tanto subsidio criticae sacrae, ad restituendum graecum textum Bibliorum, ut vult Ernestius.

(1) Parisiis, 1684, pag. 318.

(2) Latina haec versio complectitur nostros sermones IV-VIII, XI-XVII, XXXIII-XXXVI, XL-XLII, XLIV, XLVI-XLIX ; non tamen singulos integros, nec isto ordine. Cf. infra, pag. 67, not. 1.

(3) Qui rei exempla desiderat conferat textum latinum (cap. 51) cum versione nostra sermonis XLVIII qui infra ex integro editur. (Append. n. II).

(4) Editionem non vidi. Hoc dico fide Mitarelli (*Bibl. codd. mss. S. Michaelis*, pag. 545) qui addit : « et inde Basileae inter *Orthodoxographos Patres*, anno 1555. » Sed heic errat. Duplex collectio circumfertur sub hac abbreviata appellatione *Orthodoxographorum* ; una quae prodiit Basileae anno 1555, curante Heroldt, in qua opus Isaaci non reperitur ; verus titulus est : *Orthodoxographa theologica* ; altera quam curavit J. Grynaeus, cui titulus : *Monumenta S. Patrum orthodoxographa*, quae etiam Basileae lucem

continuum capitibus distinctum. Receptum fuit postea opus inter *Monumenta ss. Patrum orthodoxographa*, quae prodierunt Basileae anno MDLXIX, ubi legitur sub hoc titulo : *Sancti Isaaci syri et presbyteri antiocheni de contemptu mundi, de operatione corporali deque sui abjectione liber* (1). Inde transiit in alias collectiones, nempe in *Bibliothecam veterum Patrum* Margarini Bignii (2) ; in *Maximam Bibliothecam veterum Patrum et antiquorum Scriptorum eccles.* Phil. Despont (3) et in *Bibliothecam veterum Patrum* A. Gallandi (4) qui, quamvis in praefatione doceat opus esse Isaaci Ninivitae, in titulo tamen nomen Isaaci presbyteri Antiocheni servavit. Denique haec ultima editio una cum fragmento graeco a Possino vulgato, recusa est

adspexit sed anno 1569 ; et in hac revera occurrit nostri Auctoris opusculum. Credo tamen venetam editionem Grynaeo fuisse ignotam, et hunc ex aliquo codice manuscripto libellum deprompsisse suadet brevissima adnotatio in qua editor auctorem libri natione syrum et ecclesiae antiochenae presbyterum ex titulo se colligere dicit ; dein postquam aliquantisper monachalem institutionem, ut Reformatorem decebat, perstrinxerit, subdit : « In calce libri haec verba adscripta sunt. Vixit anno Dni MCCCCVII, unde colligere licet vixisse Isaacum monachum eo tempore quo in Occidente Rupertus Palatinus princeps imperii Romani sceptrum tulit ».— Hanc annotationem amanuensis tempus designare non suspicatus est.

Majorem adhuc mirationem excitant verba Papebrochii (*Acta Sanct.*, die XI april, T. II, p. 29.) carpentis auctores illos qui librum Isaaco Antiocheno adscribunt « *licet*, ait, *stylus nulla ex parte graecam aut syriacam sapiat originem* ». Suam vero profert sententiam : « Nos ipsum, inquit, attentius perlegentes, primum quidem vix dubitamus quin medii aevi scriptor aliquis, et quidem latinus, auctor operis praedicti fuerit ». Rationes quas affert ad probandam hanc opinionem non minorem quam ipsa conclusio excitant stuporem. Aliquando fallax severior critica !

(1) Pagg. 1626-1677.

(2) In editione Parisiensi an. 1575, vol. III, col. 741 ; in altera Paris., 1689, vol. V, col. 669 ; in Coloniensi an. 1618, vol. VI, part. 2. pag. 688 ; in nova Parisiensi (1654), tom. V, coll. 483-532.

(3) Lugduni, 1677, tom. XI, p. 1019.

(4) Venetiis, 1765, tom. XII, pp. 3-33.

a J. P. Migne in suo *Cursu Patrologiae completo* (1).

V. — Quaedam addemus de versionibus operum Isaaci in modernis linguis.

Italica exstat translatio elegans et vetus, pro historia hujus idiomatis pretiosissima (2), continens eos sermones qui in latina versione recepti sunt. Typis mandata fuit prima vice Venetiis, anno MD ; gothico, ut aiunt, c haractere impressa est sub hoc titulo : *Questo e il libro de labate Isaac de syria. De la perfectione de la vita contemplativa.* Et in fine legitur : *Venetiis per Bonetū Locatellū presbyterū*, 1500. Rarissima esthaec editio (3). Iterum vero prodiit

(1) *Patrologia Graeca*, series graeco-latina, tom. LXXXVI, coll. 799-888 ; series latina tantum, tom. XLIV, coll. 919-994.

En concordantia inter latinum textum et syriacum.

Migne, cap. 1-10 = sermo IV; cap. 11-13 = serm. V ; cap. 15-17, = serm. VI; cap. 18-19 = serm. XXXVI ; cap. 20 =serm. XV ;— cap. 21-23 = serm. VIII ; cap. 24 = serm. XI; cap. 25 = serm. XIII-XIV ; cap. 26 = serm. XII ; cap. 27 = serm. XIII. ; cap. 30 = serm. XVI ; cap. 31 = serm. XVII ; cap. 32 = serm. XXXIII ; cap. 33 = serm. XXXIV ; cap. 34-35 = serm. XXXV ; cap. 36 = serm. XL ; cap. 37-40 = serm. XLI ; cap. 41-43 = serm. XLII ; cap. 44-47 = serm. XLIV ; cap. 48 = serm. XLVI ; cap. 49-50 = serm. XLVII ; cap. 51 = serm. XLVIII ; cap. 52 = serm. XLIX. — Capp. 28-29 efformant primum et cap. 53 secundum ex tribus sermonibus Johannis Sabae de quibus supra loquuti sumus (pag. 65 not. 1).

(2) « Fu questa opera trasportata nel volgar nostro per quanto si stima nell'età di Dante, o in quel torno, ed e ripiena di belle voci, di elocuzioni e forme di dire pure, native e simplici. » Paitoni, *Bibl. degli aut. antichi.* Tom. 2, p. 190.

(3) Constat opusculum paginis 70 minoris formae in 8. Post titulum incipit liber : *Come l'anima si de possare in Dio et del contempto del mundo. Sermone primo. L'anima la quale amo Dio*, etc. In fronte libri depingitur Isaacus sub figura senis habitu monachali induti, porcum juxta se pascentem habentis et baculum tenentis manu dextra cui pendet etiam tintinabulum. — Verso folio invenitur haec adnotatio : « Venuta e in luce questa angelica opera la qual acaduna persona potra esser cara e de grande utilità : chi tende andare per via de perfectione e agustar la mor de esso summo bene : e puo chia inarsi la via chiara e lucida de contemplatione e vera perfectione. Edita p. lo venerando abate Ysaac de Syria. »

opusculum Florentiae anno MDCCXX, curis celeberrimi bibliophili Thomae Buonaventuri, titulo in hunc mutato : *Collazione dell'abate Isaac* (1). Hujus collectionis Silvester a Milano curavit novam editionem cui tamen multum praestat illa quae prodiit Romae anno MDCCCXLV (2) sub hoc titulo : *Collazione dell'abate Isaac... recata alla sua vera lezione con l'ajutà e autorità del testo latino*, curante cl. philologo Bartolomeo Sorio (3).

Gallice nihil, quod sciam, ex operibus Auctoris nostri typis vulgatum fuit (4).

Germanico idiomate sex priores sermones Isaaci Ninivitae in *Bibliotheca Patrum Ecclesiae* Dris V. Thalhofer, prodierunt (5). Syrorum hujus collectionis opusculorum versionem confecit cl. Dr. G. Bickell, qui hos Isaaci sermo-

(1) Titulus integer : « *Collazione dell' Abate Isaac et Littere del Beato Don Giovani dalle Celle monaco Vallombrosano e d'altri. In Firenza nella stamperia di A. R. MDCCXX per Gio. Gaetano Tartini e Sancti Franchi.* (in-4°).

(2) Haec editio data fuit promovente celeberrima Academia *della Crusca*. Duplex est : minor (in-16) in duo volumina, major (in-4°) unico volumine constans (*Biblioteca classica sacra.* Secolo XIV. Tom. III) ; ad usum sociorum Academiae, qui ea pro testimoniis in suo Vocabulario allegandis utuntur, praesertim ordinata fuit.

(3) De versione italica ejusque variis editionibus cf. Paitoni, *Biblioteca degli autori antichi.* Venezia. 1774, T. 2, p. 190. — *Giornale de' Letterati d'Italia*, Tom. XXXII. Venezia, 1719, p. 544. — Mitarelli, *Biblioth. codd. mss. sti Michaelis.* Venet. 1679. Append. p. 545.— Zambrini, *Opere Volgari*, ed. 4ª. Bologna, 1878, p. 525. — Brunet. *Manuel du Libraire*, ed. Paris, 1862, tom. 3, col. 460.

(4) Exstat tamen antiqua translatio ex latino facta in cod. *latino* Biblioth. Nation. qui n. 14891 signatur. Iste codex fuit monasterii Sti Victoris Parisiensis ; constat variis opusculis latinis atque hoc gallico simul colligatis. Paginis 308-370, alia manu ac praecedentia descripti Isaaci sermones, iidem qui in latinis editionibus, aliter tamen distincti, reperiuntur. Incipit opusculum : *Cy commence le livre de Ysaac abbé de Syrie de l'ame amant dieu. S'ensuit le prologue...*

(5) *Bibliothek der Kirchenväter.* — Fascic. 204 et 205 : *Isaak von Ninive.* Kempten, 1876, in-16.

nes ex codd. Londin.add. msc. 14632 et 14633, collata editione graeca Lipsiensi, transtulit eisque brevem quam saepius laudavimus Introductionem praemisit (1).

§ IV.

DE STYLO AUCTORIS EJUSQUE OPERUM MOMENTO.

De stylo Auctoris nostri cur longiores simus non est, cum ipse lector ex multis fragmentis quae inveniet in secunda parte Dissertationis et potissimum ex tribus huic subjectis sermonibus judicium ferre poterit.

Prout familiare est Orientalibus modum dicendi habet metaphoris oppletum undique quaesitis. Ex genere animali, ex varia humanae vitae condicione elegantes petit similitudines : monachum lepide comparat avi, serpenti, cani, sui, negotiatori, agricolae, nautae, aegro, athletae, etc. Dictio est pura et inter correctiores linguae syriacae scriptores haud infimum locum sibi vindicare potest. Verba peregrina raro adhibet ; graeca vocabula tam frequenter usurpata a scriptoribus subsequentium saeculorum admodum pauca apud ipsum reperiuntur (2). Vocabulario utitur ditissimo et

(1) Ne vel bibliophilis aliquid desiderandum remaneat indicabo adhuc duo opuscula quae prae manibus non habui, sed putat Brunetus (*Manuel du Libraire*, loc. cit.) esse nostri Isaaci : *Liber abbatis Isach de ordinatione animae impressus Barcinonae per Jacobum de Gumiel Castellanum. 1497, in-8°* ; et : *De Religione traducido del Abad Isach en romance per fray Bernal Boyl sacerdote hermitano de las montanas de nostro senora de monferrate...* In fine : *Deo gratias. Finitus hic libellus apud Sanctum Cucufatum Vallis Aretanae, xxix novembris anni MCCCLXXXIX* (in-4° ; goth.).

(2) Praeter quaedam usu ecclesiastico probata ut ܦܛܪܝܪܟܐ (πατριάρχης), ܐܦܝܣܩܘܦܐ (ἐπίσκοπος) aliaque hujusmodi, non invenies

voces hucusque nobis incognitas adhibet aut sensu aliunde non probato usurpat, ita ut ex ejus scriptis lexica pluribus vocabulis ditescere ignotis, aut jam notis novas significationes assignare liceret (1).

Ellipses frequentes sunt. Periodi concisae dense sibi invicem succedunt : produnt auctorem cujus mens rei praesentis cogitatione incaluerit et quae animum replessent cumulatim ut alios cohortaretur incenderetque effuderit. Elegantiam quaerit ; lusum verborum amat. Plerumque continua oratione usus est ; aliquando tamen doctrinam suam per modum interrogationum et responsionum proponit (cf. serm. XXXVI, LXXVII), saepius vero per breves et distinctas sententias (serm. I, IV, XL, XLI, XLVIII, etc.). Capita hoc modo ordinata haud immerito comparares generi dicendi apud auctores primi et praesertim secundi libri *de Imitatione Christi* usitato.

Eruditione non caruisse Isaacum satis innotescit ex testimoniis quae usurpat (2). Scripturae ei sunt valde familiares. Frequenter allegat epistolas S. Pauli et V. T. libros propheticos, maxime Ezechielem. Citat adhuc Dionysium pseudo-Areopagitam quem vocat Episcopum Athenarum (3),

in ejus operibus nisi vocabula : ܛܟܣܐ (τάξις), ܩܘܢܕܝܢܘܣ (κίνδυνος), ܦܪܗܣܝܐ (παῤῥησία), ܐܢܢܩܐ (ἀνάγκη), ܐܣܟܡܐ (σχῆμα), ܐܘܣܝܐ (οὐσία), ܗܕܝܘܛܐ (ἰδιώτης), ܗܘܠܐ (ὕλη), ܓܢܣܐ (γένος), ܛܘܦܣܐ (τύπος), ܬܐܘܪܝܐ (θεωρία), ܐܟܣܢܝܐ (ξένος), paucissimaque alia.

(1) Quaedam, occasione data, infra notavi.

(2) Ne putes monachos praesertim in Aegypto quamvis orationi plurimum vacarent homines semper ignaros fuisse. Quidam inter suae aetatis eruditos computari possunt. Abbas Ammon scripta Origenis, Didymi Alex., Pierii legerat ; abbas Theonas litteras graecas, latinas et aegyptiacas callebat ; Arsenius imperatorum Honorii et Arcadii praeceptor fuerat. Palladio, qui monasteria Aegypti visitabat, abbas Apollonius socios dedit monachos linguis latina, graeca, coptica eruditos. (Cf. Palladius, *Hist. lausiaca* ; Migne, *Patr. Graec.* tom. XXXIV).

(3) Cod. 14633 f. 51*b*. — Ut jam observavit Assemanus (B. O. t. 1,

Rufinum (1) Socratem (2), Athanasium (3), Macarium (4), Marcum monachum (5), Ephrem (6), Basilium (7) et quam frequentissime Evagrium (8), necnon *Interpretem* (9). Ex his judicare licet quanti sit momenti Isaaci asceticum opus.

Conceptus qui tramitem sermonum componunt, illi sunt quos apud asceticos scriptores cujusvis aetatis invenire assueti sumus. Quod mirum non est, si quidem, etsi diverso tempore diversis mediis, tamen semper eumdem finem sibi proposuit theologia ascetica (10).

Multum quidem recedit a simplicitate Patrum Apostolicorum qui doctrinam practice exponunt, multum etiam a sagacitate Scholasticorum qui rem asceticam logice et juxta principia philosophica tractant. Ad utrosque tamen accedit ; ad priores vero quia, sicut ipsi, non ex proposito sed

pag. 451) primus inter Dionysi laudatores Isaacus noster recensendus est. Si autem vera est opinio nostra de Isaaci aetate, jam patet haec opera ante finem saec. V scripta fuisse. Quaestio de libris pseudo-Areopagitae docte tractata est a cl. B. Jungmann in in nova editione, quam nunc curat, egregii operis J. Fessler. (*Institut. Patrologiae*, tom. I, pagg. 635 seqq. ; Oeniponte, 1890).

(1) Cod. 14633 f. 72*b*. — Semel tantum citatur.

(2) Cod. 14633 f. 72*a*. — Semel tantum.

(3) Cod. 14633 f. 51*a*.

(4) Cod. 14632 f. 123*b*, 125*a*, etc.

(5) Cod. 14632 f. 134*a*, etc.

(6) Cod. 14633 f. 51*b*, etc.

(7) Cod. 14633 f. 79*b*, 97*b*, etc.

(8) Cod. 14633 f. 48*a*, 48*b*, 49*a*, 78*a*, etc. ; cod. 14632 f. 108*a*, 111*b*, 113*b*, 123*b*, 124*b*, 129*b*, 134*a*, etc.

(9) ܡܦܫܩܢܐ, quo nomine, ut jam supra dixi (pag. 24), designatur Theodorus Mopsuestenus. — Graecus interpres (add. msc. 14633, fol. 88*a*) reddidit Χρυσόστομον.

(10) Optimam definitionem theologiae mysticae habes apud Balth. Corderium : « Theologia mystica est sapientia experimentalis Dei affectiva, divinitus infusa, quae mentem ab omni inordinatione puram, per actus supernaturales fidei, spei, et charitatis, cum Deo intime conjungit. » — (*Isagoge ad myst. theol. S. Dionysii Areop.* cap. 2).

occasione data, et saepius ut petitis responderet, scripsit; ad posteriores autem, quia non tam praxim respicit quam causas et principia. Ex hac quidem commixtione speculativae et practicae scientiae non mediocris quandoque exsurgit confusio jam satis ex natura rerum tractandarum reformidanda. Quoddam certum psychologiae systema non habuit aut si habuit non apparet. Ceteroquin tantum abest ut semper claritati studuerit, ut ipse fateatur se aliquando obscuritatem quaesivisse, « ne profunda mysteria divinae contemplationis in contemptum eorum quibus ignorantur venirent » (1).

Haec omnia quidem faciunt ut ejus opera hodiedum parvae essent utilitatis practicae, et vix lectores obtinerent, maxime apud nostrates, ubi favorem non assequuntur libri pii nisi qui, suavi facundia repleti, omni doctrina sint destituti.

Etsi non sine defectibus prostant ista opera maximo tamen pretio habita fuisse apud monachos cujusvis loci et temporis jam dixi et probavi. Summae adhuc utilitatis essent ei qui theologiae asceticae historiam texere vellet. Mirum est enim, cum plures dogmaticam historice exposuerunt, neminem esse, quod sciam, qui ad conficiendam mysticae theologiae historiam sese accinxerit.

Hisce dictis, jam ad secundam partem hujus Dissertationis procedamus atque ipsum Auctorem audiamus loquentem.

---

(1) Serm. XIV, cod. add. msc. 14635 f. 36*a*.

PARS POSTERIOR.

DE ISAACI NINIVITAE
ASCETICA DOCTRINA.

De doctrina ascetica nostri Auctoris nunc tractaturus expositorem potius quam apolegetam aut impugnatorem agam nec quae minus recte dicta apparent corrigens, nec quae probanda laudans. Quantum licebit ipsamet Isaaci verba adhibebo, notis hic illic subjectis, ubi magis necessariae videbuntur sive ad clariorem textus interpretationem sive ut conferantur verba, methodus conceptus ve Auctoris cum auctoribus qui de hisce rebus egerunt.

Primum quidem ideam generalem et quasi synopsim systematis proponam ; deinde paullo fusius singulas partes prosequar.

§ I.

ISAACI SYSTEMA ASCETICUM DELINEATUR.

Secundum igitur Isaacum nostrum perfectio hominis in hac vita sistitur in contemplatione (ܬܐܘܪܝܐ) rerum divinarum (1). Hoc est principium fundamentale et veluti cardo

(1) Cf. quae hac de re habent S. Thomas, *Sum. Theolog.* 2-II, Qq. 179-182 ; et Suarez, *Tract. de varietate religionum,* Lib. I, capp. V et VI.

totius ejus systematis. Omnes itaque conatus eorum qui ad perfectionem tendunt huc spectare debent ut seipsos contemplationis capaces reddant. Huic vero arduo negotio homo totus totisque viribus incumbere debet.

Jam autem in homine distinguere licet triplex elementum : corpus, animam et spiritum ; unde triplex operatio, qua homo veluti triplici gradu ad culmen asceseos ascendit. In primo gradu (*operatio corporalis* ܕܘܒܪܐ ܦܓܪܢܝܐ) homo purgatur a materiali contactu saeculi viresque corporis domantur ; in secundo gradu (*operatio animae*, ܕܘܒܪܐ ܕܢܦܫܐ) anima mundatur a recordatione rerum mundanarum virtutibusque ornatur ; in tertio autem (*operatio spiritus*, ܕܘܒܪܐ ܕܪܘܚܐ) mens contemplationi vacat, quandoque etiam recepit extraordinaria Dei dona nempe visiones, extasim, donum prophetiae aliaque hujusmodi.

Unicuique operationi respondet diversus gradus scientiae (ܝܕܥܬܐ, γνῶσις) quo generaliori nomine videtur Auctor designasse mentis affectiones cujuscumque generis, quae singulas operationes consequuntur aut comitantur. Triplex itaque scientia distinguitur. Prima scientia, quae hominis corporalis est, docet vanam gloriam, honores, ornatus, otium corporis, studium sapientiae humanae ceteraque quae ad glorificationem corporis spectant (1) ; habet pessimos effectus : pusillanimitatem, debilitatem, desperationem, timorem daemonum, metum hominum, auditum mortalium, curam morborum, sollicitudinem de alimentis, perturbationem prae morte, timorem bestiarum et animalium aliaque ejus-

(1) ܐܝܬܝܗ̇ ܕܝܕܥܬܐ ܕܦܓܪܐ ܠܡܥܠ ܗܘ ܚܕܝܘܬܐ . ܘܗܠܝܢ ܐܝܬܝܗ̇ ܒܠܚܘܕ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܠܗ̇ܕܐ . ܫܘܒܚܐ ܣܪܝܩܐ . ܐܝܩܪܐ . ܨܒܬܐ . ܢܝܚܐ ܕܦܓܪܐ . ܚܘܦܛܐ ܕܚܟܡܬܐ ܕܡܠܠܘܬܐ ܕܢܫܫܐ ܠܡܬܦܪܢܣܘܬܐ ܕܟܠܡܐ ܗܢܐ ܘܡܠܟܘܬܗ̇ ܡܟܬܒܢܐ ܕܚܪ̈ܝܬܐ ܡܫܝܚܬܐ ܕܐܘܟܡܘܬܐ ܘܡܘܬܪ̈ܢܐ . ܘܚܪܝܢܐ ܐܡܠܝܢ ܕܦܓܪܐ ܡܩܠܠܝܢ ܒܟܠܗܝܢ ܗܢܐ ܡܬܝܚܕܝܢܐ ❖ (Add. msc. 14633 f. 102*a*).

dem generis (1) : ab hisce omnibus homo operatione corporali, praesertim fuga mundi, jejuniis vigiliisque purgatur.

Cum autem profecerit homo in hac operatione corporali attinget secundum ordinem scientiae quae est eorum qui in operatione animae laborant, et fundamentum habet in segregatione ab hominibus, in lectione librorum sacrorum, in orationibus et aliis operibus bonis exercitioque virtutum quae hisce mediis acquiruntur. Vocatur etiam scientia operativa quia per actiones sensibiles, mediantibus corporis sensibus, perficit exterius operationem suam (2).

Huic succedit tertius ordo scientiae qui est omnino spiritualis. Volat mens per regiones incorporeas, attingit ima inexplorabilis maris divinae providentiae, scrutatur mysteria spiritualia et, in perfectione quam impertit sensibus internis, exemplum praebet internae instaurationis. Habet suos gradus prout et ipsa spiritualis operatio cui respondet : in hoc tamen saeculo et quamdiu carnis onere premitur anima fastigium attingere nequit (3).

(1) ܡܬܗܠܟܢܘܬܐ ܐܢܟܘܪܝܬ ܠܒܫܐ . ܥܪܛܠܝܘܬܐ . ܨܘܡܐ ܫܗܪܐ . ܕܚܠܬܐ ܕܫܬܩܐ . ܦܘܠܚܢܐ ܕܫܬܩܐ ܒܒܥܘܬܐ ܢܟܦܬܐ ܕܒܟܝܬܐ . ܡܚܝܠܘܬܐ ܕܡܣܬܟܠܢܘܬܐ . ܕܚܠܬܐ ܐܒܝܠܘܬܐ . ܡܟܝܟܘܬܐ ܕܡܣܬܪܗܒܘܬܐ . ܡܬܥܒܕܢܘܬܐ ܕܥܡ ܦܓܪܐ ܡܟܟܘܬܐ . ܕܚܠܬܐ ܕܢܦܫܐ ܘܡܬܢܚܢܘܬܐ . ܘܡܢܟܦܘܬܐ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ . ܘܫܪܟܐ ܥܡܐ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ . ܡܬܟܫܦܢܘܬܐ ܒܟܠܗܝܢ ܒܪܢܫܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܘܡܬܬܠܡܕܢܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܟܫܠ ܠܡܬܥܡܪ ܒܦܓܪܐ ܒܟܠ ܗܠܝܢ ܒܝܕ ܡܬܥܒܕܢܘܬܐ ܕܦܓܪܢܝܬܐ ܡܬܕܟܝܐ ܐܢܫ ܕܡܢ ܥܠܡܐ ܗܘ ܀ (Ibid. f. 102b).

(2) ܡܢ ܫܘܠܡܐ ܕܦܘܠܚܢܐ ܦܓܪܢܝܐ ܕܡܬܩܪܐ ܗܘ ܦܘܠܚܢܐ ܕܢܦܫܐ ܕܒܗ ܡܬܓܠܝܐ ܝܕܥܬܐ ܕܦܘܠܚܢܐ ܘܕܥܬܐ ܗܝ ܕܡܬܩܢܝܐ ܒܝܕ ܩܪܝܢܐ ܘܨܠܘܬܐ ܘܫܪܟܐ ܕܦܘܠܚܢܐ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ . ܘܡܬܩܪܝܐ ܝܕܥܬܐ ܕܦܘܠܚܢܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܡܥܒܕܢܘܬܐ ܡܬܪܓܫܢܝܬܐ ܡܫܡܠܝܐ ܦܘܠܚܢܗ ܒܝܕ ܪܓܫܐ ܕܦܓܪܐ ܀ (Add. msc. 14633 f. 103a).

(3) ܡܢ ܐܝܠܝܢ ܕܠܗ ܕܒܗ ܪܘܚܐ . ܗܘܝܐ ܡܬܩܢܝܢ ܦܓܪܐ ܒܟܠܗ ܐܬܪܘܬܐ ܠܐ ܡܫܟܚܐ . ܘܡܫܬܡܠܝܐ ܒܗܠܝܢ ܕܒܥܠܡܐ ܗܢܐ ܠܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܕܡܫܡܠܝܘܬܐ

« Tales (igitur) sunt tres scientiae ordines secundum tria in quibus perficitur cursus hominis, scilicet, corpus, animam et spiritum... Primus est refrigerium animae in laboribus cursus post bona ; medius est incentivum animae in impetu ascensus in scala fidei ; et tertius requies est animae ab operatione typusque ipsius futurae. (1) »

Haec ergo sunt summa principia et veluti cardo totius systematis asceticae theologiae Isaaci nostri. Illa principia, haecque divisio in ejus operibus non adeo clare exprimuntur ut legenti statim appareant. Attente tamen scrutanti mentem Auctoris facile patebunt, nec textus mox proferendi, arbitror, dubium subsistere permittunt (2).

Ceteroquin, partitionem hominis in *corpus*, *animam* et *spiritum* non esse nostri Auctoris propriam sed et apud multos Patres occurrere moneam vix necesse est. Undenam vero christiani scriptores eam acceperint : an ex falsa interpretatione locorum Sacrae Scripturae ubi auctor sacer

ܬܗܘܡܝܕܬܐ ܘܟܠܗܘܢ ܕܒܢ̈ܝܢܐ ܡܬܡܪܢܝܢܐ ܘܡܬܬܪ̈ܥܝܢܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܐܦܢ
ܪܘܚܢܐ ܕܡܫܪܒܐ ܦܬܟܡܐ ܘܡܬܬܢܐ ܡܬܕܘܪܫܝܢ ܗܘܝܢ ܬܪ̈ܝܢܐ ܕܩ̈ܢܐ
ܡܬܐܡܪܝܢ ܒܦܘܠܚܢܐ ܕܪܘܚ. ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܕܗܘܐ ܒܗܘ ܗܘܦܟܐ ܕܠܐ ܡܬܦܢܝܢܘܬܐ
ܘܠܐ ܡܫܬܒܩܢܘܬܐ ܡܬܠ ܕܦܫܛܘܬܐ ܡܬܪܥܝܢܘܬܐ ܐܝܟ ܕܒܐܪܐ ܡܫܟܠ ܡܒܢܐ
ܠܫܘܠܡܐ ܫܪܝܪܬܐ ܕܗܘ ܣܒܪܬܐ ܕܝܘܡܐ ∻ (Add. msc. 14633, f. 103*b*).

(1) ... ܗܠܝܢ ܐܢܘܢ ܬܠܬܐ ܛܟ̈ܣܐ ܕܝܕܥܬܐ ܕܒܗܘܢ ܡܫܬܡܠܐ ܟܠܗ ܪܗܛܗ
ܕܒܪܢܫܐ . ܦܓܪܐ . ܘܢܦܫܐ . ܘܪܘܚܐ ... ܝܕܥܬܐ ܩܕܡܝܬܐ ܦܘܪܓܝܐ
ܡܢܝܚܢܐ ܗܝ ܕܢܦܫܐ ܒܥܡ̈ܠܐ ܕܪܗܛܐ ܕܒܬܪ ܛܒ̈ܬܐ . ܘܡܨܥܝܬܐ
ܡܙܥܢܢܐ ܗܘ ܕܢܦܫܐ ܒܣܘܚܦܐ ܕܣܘܠܩܐ ܕܒܣܒܠܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ . ܘܬܠܝܬܝܐ
ܫܠܝܐ ܗܘ ܕܢܦܫܐ ܡܢ ܦܘܠܚܢܐ ܘܛܘܦܣܐ ܗܘ ܕܗܘ
ܕܥܬܝܕ ∴ (Add. msc. 14633, fol. 101*b* et 104*a*).

(2) De systemate nostri Auctoris jam observaverat Nicephorus monachus, Isaaci operum graecorum editor : Τρεῖς αἱ τοῦ ἀνθρώπου καταστάσεις, ὡς κατωτέρω φησίν ὁ ὅσιος · ἡ κατὰ φύσιν, ἡ παραφύσιν καὶ ἡ ὑπὲρφύσιν. ἐπειδὰν οὖν τῆς κατὰ φύσιν ἐκπεσόντες

distinguere videtur inter animam et spiritum ? (1) an potius ex platonica philosophia ? Huic posteriori hypothesi assentiendum esse mihi minime dubium est. Quamvis de sententia ipsius Platonis qui triplicem animam posuit in homine (2) disputari posset, certum videtur ejus discipuli triplicem elementum in natura humana communiter agnovisse : *corpus* (σῶμα), animam (ψυχή, principium sentiens) et spiritum (πνεῦμα seu νοῦς, principium intellectuale). Gnostici et Manichaei eamdem sententiam sunt amplexati, admittentes in homine animam bonam et animam malam, quarum prima a Deo altera a genio mali originem ducebat. Platonicorum vero ac nominatim Plotini vestigiis (3) inhaerens Apolli-

εἰς τὴν παρὰ φύσιν καταντήσωμεν κεντᾳ διηνεκῶς τὴν συνείδησιν ἡ φυσικὴ γνῶσις καὶ τὴν τοῦ θανάτου μνήμην ἀδιαλείπτως ἐπεγείρει, καὶ φροντίδα τινά, τὴν ψυχήν ἡμῶν βασανίζουσαν οὐ παύεται τίκτουσα « ἕως τῆς ἔξοδου ταύτης » εἶτουν ἄχρις οὗ ταυτησὶ τῆς παρὰ φύσιν καταστάσεως ἐξελτοντες, εἰς τὴν κατὰ φύσιν αὖθις ἐπανελθῶμεν. τενικαῦτα δὲ πάλιν ἡ φυσικὴ γνῶσις θλίψιν γεννᾳ, καὶ κατήφειαν καὶ φόβον θεοῦ, καὶ αἰδῶ καὶ λύπην, καὶ σπούδην, καὶ θανάτου μνήμην, καὶ ὑπέρ τῶν ἐφοδίων φροντίδα. ἔτι δὲ καὶ ἀναπείθει ἡμᾶς πένθει πολλῷ καὶ δάκρυσιν ἐξαιτεῖσθαι παρὰ τοῦ θεοῦ τὸ εἰσελθεῖν εἰς τὴν πύλην ταύτην τουτέστιν εἰς τὴν ὑπὲρ φύσιν κατάστασιν. (Edit. Lips. pag. 95, nota).

(1) V. gr., in N. Test. : I Cor. XV, 44 ; II Cor. II, 14 ; Heb. IV, 12 ; Thes. V, 23, etc. — Quando autem sive in Scripturis sive apud Patres *spiritus* et *anima*, vel *spiritus* et *mens*, vel *mens* et *anima* in homine ponitur, *mens* pro anima sumitur et *spiritus* pro donis Spiritus sancti, aut si mens ab anima distinguitur, distinguitur solum ut facultas ejus, quin unquam tres aut plures humanae naturae partes assignentur.

(2) De sententia Platonis cf. cum his quae habet in *Timaeo*, ea quae de ipso scribunt Plutarchus, *de placitis Philosophorum* (cap. IV) ; Cicero, *Academ. quaest.* Lib. II ; Alcinoüs, *de dogmatibus Platonicorum* ; Themistius, in paraphrasi libri I Aristotelis *de anima*, etc.....

(3) De Plotino ita scribit Nemesius (lib. *de natura hominis*, sub initio) : Τινὲς μὲν, ὧν ἐστὶ καὶ Πλωτῖνος, ἄλλην εἶναι τὴν ψυχὴν,

naris hanc doctrinam instauravit eique haeresim substruxit quae in Concilio oecumenico Cpolitano, anno 381, damnata est. Huic turpissimo errori *trichotomiae*, ut vocari solet, addictum fuisse Isaacum ne reputes. Auctor noster eodem sensu ac Patres usurpat tripartitam distinctionem. Corpus (ܦܓܪܐ) ipsi est nostrae naturae materiale elementum et quandoque metaphorice turpes inclinationes ad quas tamen exprimendas saepius utitur vocabulo *carnis* (ܒܣܪܐ). Per animam (ܢܦܫܐ) intelligit quod vocant Scholastici partem inferiorem animae et per spiritum (ܪܘܚܐ) quod appellant partem superiorem. Attamen his vocabulis non sensum ita definitum tribuit ut ea non alia significatione adhibeat. Vocem enim ܢܦܫܐ haud raro pro anima simpliciter usurpat et per ܪܘܚܐ frequenter Spiritum Sanctum designat. Vicissim ad operationem animae significandam vocabulo ܪܓܫܬܐ (*sensus*) utitur, et voces ܪܥܝܢܐ, ܗܘܢܐ (*mens*), ܬܪܥܝܬܐ (*cogitatio*) vel etiam ܠܒܐ (*cor*) promiscue usurpat sive ad operationem animae, sive ad operationem spiritus designandam. Haec adnotare necesse videbatur ut melius assequatur lector mentem Auctoris ejusque testimonia mox proferenda facilius intelligat.

Ex his etiam jam apparet quam differat systema Isaaci a systemate hodiedum inter rei asceticae scriptores communiter recepto. Dum enim ex parte subjecti totum perfectionis negotium considerat Auctor noster, recentiores ex fine et objective rem sumunt. « In omni humano studio, ait S. Thomas (1), est accipere principium, medium et terminum et ideo consequens est quod status spiritualis

καὶ ἄλλον τὸν νοῦν δογματίσαντες, εκ τριῶν τὸν ἄνθρωπον συνεστάναι βούλονται, σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ νοῦ. οἷς ἠκολούθησε καὶ Ἀπολλινάριος ὁ τῆς Λαοδικείας γενόμενος ἐπίσκοπος.

(1) *Sum. Theol.* 2-II. Q. 183, art. 4.

servitutis et libertatis secundum tria distinguantur, scilicet, secundum principium ad quod pertinet status incipientium, et medium ad quod pertinet status proficientium, et terminum ad quod pertinet status perfectorum ». Et inde « distinguere solent, ait Suarez (1), theologi mystici tres vias : purgativam, illuminativam et unitivam ».

Haec divisio sollemnis est apud Scholasticos eosque sequuti sunt omnes recentiores. Originem ducit a vulgato Dionysio qui primus eam statuit in libro *de Coelesti hierachia* (2), satisque testantur diserta testimonia Isaaci (3) ipsi ignotam non fuisse quamvis eam non acceperit veluti fundamentum sui systematis : ad cujus expositionem nunc progredientes, ne longiores videamur, neque ultra molem inauguralis Dissertationis crescat opusculum nostrum, multa notatu digna praetermittemus praecipuaque tantum puncta attingemus.

(1) *De statu perfect.* Lib. I, cap. XIII, 7.

(2) Cap. III, § 2 : « Τάξις ἱεραρχίας ἐστὶ τὸ τοὺς μὲν καθαίρεσθαι, τοὺς δὲ καθαίρειν · καὶ τοὺς μὲν φωτίζεσθαι, τοὺς δὲ φωτίζειν · καὶ τοὺς μὲν τελεῖσθαι, τοὺς δὲ τελεσιουργεῖν. (Migne, *Pat. Graec.* T. III, col. 165) — Et cap. VII, § 3 : Συνελὼν δὲ καὶ τοῦτο φαίην ἂν οὐκ ἀπεικότως, ὅτι καὶ κάθαρσίς ἐστι, καὶ φωτισμὸς, καὶ τελείωσις. (ibid. col. 209).

(3) V. gr. Cod. 14633, f. 34*b*: ܬܠܬ ܐܢܘܢ ܛܟܣܐ ܕܒܗܘܢ ܡܬܕܒܪܝܢ ܒܟܠܗ
ܗܕܐ ܕܒܪܢܫܐ ܛܟܣܐ ܕܦܓܪܢܘܬܐ ܘܡܨܥܝܘܬܐ ܘܓܡܝܪܘܬܐ . . . . .
Et cod. 14632 f. 127: ܛܟܣܐ ܕܒܟܠܗ ܗܕܐ ܒܗܠܝܢ ܬܠܬ ܐܝܬܝܗܘܢ ܬܝܒܘܬܐ
ܘܕܟܝܘܬܐ ܘܓܡܝܪܘܬܐ . ܘܡܫܬܠܡܐ ܗܝ ܬܝܒܘܬܐ . ܒܨܘܡܐ ܕܡܢ ܡܐܟܘܠܬܐ ܘܫܗܪܐ
ܕܟܠܗܘܢ . ܘܡܫܬܠܡܐ ܗܝ ܕܟܝܘܬܐ ܒܫܦܝܐ . ܒܠܒܐ ܡܫܬܡܫܢܐ ܕܒܠ ܟܠ ܒܗܝ
ܕܒܪܝܬܐ . ܘܡܫܬܠܡܐ ܗܝ ܓܡܝܪܘܬܐ . ܒܡܠܘܐ ܕܡܫܒܚܬܐ ܕܐܝܠܘܗܝ ܫܘܡܠܝܐ
ܕܒܠܡܘܕ ܕܡܫܠܡܐ ܘܐܦ ܡܫܠܡܐ . ܕܡܫܠܡܐ ܠܟܠ ܕܒܪܝܬܐ ܐܦ ܡܫܠܡܐ
ܟܠ ܩܢܘܡܐ ܕܟܠܗܘܢ :

§ II.

DE OPERATIONE CORPORALI.

Primo igitur stadio perfectionis exercetur *actio corporalis* : quo nomine vocantur (1) « *opera corporalia quae fiunt in emundationem corporis per praxim operum externorum virtutis, in quibus purgatur a corruptione carnis.* »

ܕܒܪܐ ܦܓܪܢܝܐ ܕܥܠܬ ܗܠܝܢ ܠܡܥܒ̈ܕܢܐ ܦܓܪܢܝܐ ܡܬܐܡܪܝܢ
ܕܗܘܝܢ ܠܬܘܟܝܐ ܕܦܓܪܐ ܒܫܘܡܠܝܐ ܕܡܫܡܠܝܘܬܐ ܕܥܒ̈ܕܐ ܒܪ̈ܝܐ
ܕܟܝܢܘܬܗ ܕܒܗܘܢ ܡܬܕܟܐ ܡܢ ܚܒܠܗ ܕܒܣܪܐ ܀

Inter hujuscemodi opera maxime commendantur *jejunium* et *vigiliarum noctis* sedula observatio : de quibus frequens est Auctor. Audi ipsum loquentem de jejunio (2) :

ܡܠܟܬܐ ܗܘ ܨܘܡܐ ܕܟܠܗܘܢ ܡܥܠܝܬܐ. ܘܫܘܪܝܐ
ܕܐܘܪܚܐ. ܘܡܠܟܬܐ ܕܐܪܚܐ. ܘܫܘܪܝܐ ܕܡܠܘܟܘܬܐ ܘܡܚܝܠܘܬܐ.
ܘܡܢܗܪܢܐ ܕܢܦܫܬܐ. ܘܫܘܪܝܐ ܕܐܘܪܚܐ ܕܡܫܬܠܛܢܘܬܐ.
ܘܡܢܛܪܢܐ ܕܠܒܘܬܐ. ܘܡܕܒܪܢܐ ܕܪܘܚܢܝܘܬܐ. ܘܡܕܒܪܢܐ
ܕܐܝܠܝܢ. ܘܡܠܦܢܗܘܢ ܕܡܫܝܚܬܐ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܀ ܐܝܟܢܐ ܠܡܐܪ
ܕܢܦܫ ܗܘ ܡܫܒܚܐ ܕܗܘܢܐ ܠܟܠܗܝܢ ܕܡܫܡܠܝܢ. ܗܢܐ
ܠܡܘܕܥܐ ܕܦܘܪܫܢܐ ܕܪܘܚܐ ܕܟܠܝܘܬܐ : ܡܫܒܚܐ ܕܠܐ ܕܢܬܐ ܐܢܐ
ܡܬܘܕܥܐ ܠܟܠܗܝܢ ܕܡܠܘܗܝ ܡܢ ܗܘܝܐ ܡܬܝܕܥܢ ܡܫܡܠܝܬܗ . ܠܐ

(1) Add. msc. 14633, fol. 83*a*.
(2) Cod. 14633, fol. 65*a*.

ܡܫܡܠܝܢ ܓܝܪ ܨܘܡܐ ܕܝܠܢ ܟܠ ܡܥܕܪܢܘܬܗ ܠܟܠܗܝܢ ܒܟܠܗ :
ܡܫܒܚܬܐ ܗ̇ܘ ܓܝܪ ܨܘܡܐ ܕܥܘܪܬܐ ܕܟܠ ܗ̇ܘ ܒܢܝܫܬܐ ܠܗ
ܒܟܠܗܘܢ ܒܐܝܡܢܐ ܐܠܐ ܘܒܟܠܟܐ . ܠܐ ܓܝܪ ܫܪܐ ܒܬܒܬܘܠܐ
ܕܟܠ ܗܠܬܐ ܦܪܝܐ ܫܘܒܚܐ ܕܨܘܡܐ . ܘܐܦ ܡܫܡܠܐ ܒܪ̈ܝܫܘܬܗ
ܙܟܝܘܬܗ ܕܝܢ ܟܕ ܢܟܠ ܠܗ̇ܘ ܐܠܗܐ ܒܬܘܒܬܐ . ܦܘܫ ܓܝܪ ܕܡܢ
ܡܫܝܟܠܐ ܕܨܘܡܐ ܢܦܘܩ ܡܢ ܦܘܠܚܢܐ . ܘܠܐ ܡܢ ܐܘܦܪܐ
ܕܡܬܦܠܓܘܬܐ . ܟܠ ܗܦܟܐ ܕܡܢ ܕܨܘܡܐ ܠܡܬܬܢܐ ܫܪܐ ܠܐ ܐܠܗܐ
ܠܢ . ܠܫܪ̈ܝܐ ܡܢ ܡܟܬܒܢܐ ܘܒܘ̈ܗܝܐ ܟܠ ܢܓܫܢܗ ܕܨܘܡܐ .
ܘܟܠ ܗܦܟܐ ܙܘ̈ܕܐ ܕܡܠܢܗ ܡܫܝܚܝܢ ܐܡܪܝܢ ܠܗܘܢ . ܘܟܠܗܘܢ
ܒܬ̈ܪܐ ܡܬܕܟܝܢ ܟܠ ܙܒܢܗ ܕܨܘܡܐ ܘܢܓܫܢܐ ܕܫܒܪ ܒܒܠ
ܕܙ . ܘܟܠ ܙܒܢ ܠܒܘܕܪܢܐ ܕܡܠܢܗ . ܘܡܘܒܫܐ ܡܟܠܟܠܐ ܕܨ̈ܘܡܐ :
ܘܐܦ ܡܢ ܢܫܡܬܐ ܠܒܟܠܗܝܢ ܡܝܬܪܐ ܕܡܬܒܥܐ ܕܟܠܗܝܢ
ܒܣܘܪܬܐ ܀ ܒܨܘܡܐ ܕܝܢ ܕܛܒܬܐ ܕܨܘܡܐ ܙܒܢܝܢ ܟܠ ܦܘܩܕܢܗ
ܕܒܪܢܬܐ . ܣܘܟܠܐ ܒܬܘܠܘ . ܢܦܫܐ ܗܪܝܢ . ܘܟܠܗ ܠܟܠܬܐ
ܡܬܝܠ . ܘܟܠ ܦܪܘܩܗ ܙܕܝܩܐ ܒܡܬܪܝܢܘܬܐ . ܐܘ̈ܟܠܐ ܫܠܝܐ
ܘܡܫܝܚܝܢ ܡܠܘܗ . ܦܪܘܫܘܬܐ ܐܦܠܐ ܟܠ ܒܟܠܗ ܡܫܬܝܢܐ ܒܟܬ
ܟܬ̈ܒܘܗܝ . ܒܟܠܡܒܝܐ ܓܝܪ ܕܪ̈ܚܝܡܘܬܐ ܘܫܠܝܢܐ ܒܬ̈ܠܬܐ :
ܠܐ ܡܛܠ ܕܐܝܬ ܐܠܐ ܨܘܡܐ ܕܦܘܪܫܢܐ ܕܡܟܠܒܬܗ ܪܚܝܬܐ
ܫܠܝܬܐ ܀

Hoc est : « Jejunium est enim confortator omnium « virtutum, initium certaminis, corona continentis, pul-

« chritudo virginitatis et sanctitatis, illuminator castitatis, « principium viae christianae, genitor orationis, fons pru« dentiae, doctor pacis et omnibus bonis actibus praeit. « Quemadmodum enim fruitio lucis oculos sanos, ita jeju« nium discretum comitatur orationis desiderium. Statim « enim ac coepit quis jejunare, exinde familiaritatem Dei « expetit in mente sua. Non patitur corpus jejunum recum« bere super lectum suum per totam noctem. Incitamentum « enim naturale est jejunium vigilantiae ad Deum, non solum « de die sed et in nocte : nam haud multum decertat cum « somno corpus vacuum jejunatoris. Si debilis est sensibus, « mens tamen ejus vigilat ad Deum per orationem. Satius « est ex infirmitate jejunii cessare ab opere quam ex pond« ere cibi. De excellentia autem jejunii plura enarrare « necessarium nobis non est. A multis Doctoribus et Patri« bus de splendore jejunii, de magnis commodis quae ab eo « (proveniunt) frequens sermo habitus est librique eorum « omnes praedicant magnitudinem jejunii, praeclara (gesta) « quae operatum est omni aetate, amplitudinem auxilii ab « eo acquisiti, gloriam excelsam jejunatorum. Ceteroquin, « etiam experientia notum est unicuique (jejunium) esse fon« tem omnium virtutum. Quando autem sigillum jejunii « apponitur in os hominis, hujus cogitatio casta est, anima « meditatur, cor oratione movetur ; in vultu ejus inducitur « moestitia, motus pravi ab eo recedunt, et lascivia nullo« do apparet in ejus oculis. Inimicus enim est concupi« centiarum et vaniloquii. Nunquam visus est jejunator « discretus in pravae concupiscentiae servitutem redactus. »

Jejunio addenda est sedula vigiliarum noctis custodia, quod opus praecipuum inter sua exercitia reputare debet monachus. Quanti illud faciat Isaacus ex ipsius verbis agnosce (1) :

ܠܐ ܢܫܒܪ ܠܟ. ܐܘ ܡܕܒܪܢܐ. ܕܐܝܟ ܡܕܒܪܢܘܬܗܘܢ ܕܥܡܠܐ ܕܫܗܪܐ

(1) Cod. 14632, fol. 38*b*.

ܕܥܒܪܐ ܕܘܟܝ ܘܡܝܬܪ ܡܢ ܒܥܠܡܐ ܕܫܗܪܐ. ܫܪܝܪܐܝܬ ܐܚ̈ܝ ܕܐܦ ܐܦ
ܒܐܝܡܡܐ ܠܐ ܢܗܘܢ ܠܒܠܘܠܐ ܒܥܢܝܢܐ ܡܪ̈ܘܚܬܐ ܡܛܠ
ܦܓܪ̈ܢܝܬܐ ܘܢܝܨܦܐ ܠܥܒܪܐ. ܐܠܐ ܘܦܘܪܫܢܐ ܦܫܝܩܘܬܐ ܕܡܢ ܥܠܡܐ.
ܘܢܛܘܪܬܐ ܙܥܘܪܬܐ ܗܘܝܐ ܠܗ ܥܡ ܫܗܪܐ. ܠܐ ܥܣܩܐ ܠܝ ܕܐܡܪ
ܠܟܘܢ ܗܝ ܕܫܪܝܪܐ. ܕܐܝܟ ܕܣ̈ܓܝܐܐ ܦܪܝܫ ܙܒܢܗ ܒܡܠܝܠ
ܐܒܢܐ. ܘܫܡܠܢ ܠܗܘ ܐܠܗܐ ܠܒܣܝܡܘܬܗ. ܘܒܗ̇ ܚܘܒܐ
ܡܬܒܥܐ ܒܫܝܢܝܘܬ. ܘܒܗ̇ ܡܫܬܠܐ ܕܘܡܝܐ ܡܢ ܐܘܪܚܬܐ
ܕܒܢ̈ܝܢܫܐ ܚܫܐ ܒܡܫܬܠܡܢܘܬܗ ∴ ܡܚܝܠܝܢ ܕܢܗܘܐ ܐܝܟܢ.
ܒܡܘܪܝܐ ܕܗܘܢܐ. ܠܗܘܢܐ ܠܐ ܐܬܚܘܝ ܐܝܟ ܠܒܢܝܢ ܒܫܪܐ.
ܫܪܝܪܐܝܬ ܓܫܡܐ ܗܘ ܕܡܠܐ̈ܟܐ ܠܒܣܪܐ ܗܢܐ. ܐܦܠܐ ܓܝܪ ܡܠܟܐ
ܕܐܠܝܢ ܕܗܘܢܐ ܕܘܒܪܐ ܠܒܢ̈ܝܢ ܡܬܬܠܒܫܝܢ ܕܠܐ ܫ̈ܘܒܐ
ܘܚ̈ܘܒܐ ܕܡܢ ܐܠܗܐ. ܡܛܠ ܠܡܝܪܬܐ ܕܢܘܗܪܬܐ ܕܒܗܘܢ.
ܘܡܛܠ ܕܢܝܐ ܐܦܝܢܐ ܕܡܫܒ̈ܚܢܘܗܝ ܕܠܗܘ . ܢܫܡܐ ܗܘܝܐ
ܕܗܘܢܐ ܕܒܪܐ ܕܫܗܪܐ ܒܥܠܡܐ ܘܡܬܢܗܪܐ. ܠܒܢ̈ܝܐ ܕܒܪ̈ܝܬܐ
ܗܘܝܢ ܠܗ . ܒܡܠܬܗ ܕܚܘܒܐ ܕܒܪܢܫܘܬܐ ܠܡܚܙܐ ܒܒܠܚܘܕ
ܒܬܐܘܪܝܐ ܡܫܬܠܡܢܝܬܐ ܀

Id est : « Ne tecum reputes, o homo, esse in cunctis « religiosorum exercitiis negotium tam excellens quam « opus vigiliae. Revera, fratres, non solum religioso non « est dissipatio in negotiis aliquot corporalibus vel cura de « transitoriis, sed facilis fit separatio a saeculo et parva « exigitur custodia cum vigilia. Difficile (1) non est mihi

(1) Codex habet : ܐܣܩܐ, mendum utique pro ܥܣܩܐ

« dicere vobis — quod verum est — quasi per alas volare
« mentem ejus, cito ascendere ad Deum in exultatione
« sua et gloriam contemplari faciliter ac in scientia quae
« superat cogitationem hominum natare agiliter. Mona-
« chum vigiliis assiduum cum mentis discretione noli con-
« siderare quasi carne indutum : vere ordinis angelici est.
« Non est possibile eos qui in hoc negotio laborant relinqui
« sine donis eximiis a Deo ob exercitationem et illustratio-
« nem cordis eorum et propter sollicitudinem continuam
« cogitationum eorum circa ipsum. Anima itaque quae huic
« negotio vigiliae laborando sese applicat, oculos Cherubim
« habebit ad adspiciendum cum promptitudine et celeritate
« in omni momento contemplationes coelestes. »

Tanti facit hoc opus Isaacus ut praeter morem heic descendat ad practica consilia circa modum illud peragendi exemplisque doceat quomodo monachus suam vigilantiam per noctem excitare valeat (1) :

ܡܛܠ ܕܝܢ ܕܗܢܐ ܐܝܬ ܠܗ ܕܢܩܘܡ ܠܬܫܡܫܬܐ ܒܫܗܪܢ ܒܡܕܒܪܢܘܬܗ
ܕܡ̈ܢܝ ܠܟܡ ܐܝܟ ܕܐܡܪܬ ܐܢܐ ܠܟ . ܫܡܥ ܒܡܘܪܐ ܐܝܟ ܠܟܡܐ .
ܘܩܘܡ . ܘܒܬܪ ܗܝܕܝܢ ܠܗ ܡܫܝܐ ܠܡܥܪܐ ܒܬܫܡܫܬܟ . ܐܠܐ
ܡܛܠ ܕܒܠܒܟ ܘܫܠܡܬ ܘܦܫܛܬ ܠܟܠܟ ܘܗܕܝ̈ܪܝܟ ܒܢܟܦܐ ܫܢܐ .
ܩܘܡ ܐܝܟ ܠܝܠܝܐ ܕܠܚܘܕ ܒܝ ܚܠܐ ܐܢܬ ܠܝܡܐ ܕܡܬܠܒܫܝܢ ܟ̈ܣܝܢ
ܘܐܬܟ̈ܝܢ ܡܬܬܠܬܠܝܢ . ܘܗܝ ܐܘܡܝܬ ܣܢܝܪܝܢ ܝܘܡܐ ܠܥܠܡ ܡܢܝ .
ܘܐܦܝܣܝܗܝ ܒܫܢܬܐ ܕܢܡܬܠܝܢ ܡܫܬܠܡܝܢ . ܘܕܐܝܟ ܕܒܢܝܫܐ
ܕܒܥܠܗ ܢܗܘܘܢ ܒܬܩ̈ܢܐ ܕܠܡܢܝܢ ܘܩ̈ܠܐ ܕܠܒܟ . ܘܐܡܪ
ܡܬܬܠܬ ܒܢܘܟܪܝܐ ܕܠܒܟ ܗܒܢܐ . ܡܪܝ ܘܠܟܘܗܝ . ܫܒܘܪܐ

(1) Add. msc. 14632, fol. 139*a*.

ܕܒܪܝܬܗ ܕܝ̈ܠܗܝܢ ܠܗ ܚܫ̈ܒܝܢ ܘܡܫܬܠܛܢܘܬܗ ܕܒܢܝܢ ܘܟܘܒܫܗ
ܕܒܠܒܘ̈ܬܢ ܐܝܬ ܫܘܠܛܢܐ ܡܢ ܒܟܘܢܫܗ. . . . .
. . . . ܘܒܪ ܒܠܚܘܕ ܦܠܛܝܢ ܘܗܘܐ ܡܫܪܐ ܐܝܬ ܕܠܐ ܕܗܘܐ
ܒܬܫܡܫܬܝ · ܘܗܕܐ ܐܝܬ ܒܗ ܠܒܪܝܬܐ ܠܡܫܡܫܢܐ ܒܫܡܫܬܐ.
ܐܘܟܝ ܠܝ ܕܝܢ ܕܒܒܠܗ ܫܘܪܬܐ ܗܘܝܢ ܚܠܝ ܒܗ ܒܬܫܡܫܬܝ
ܠܒܪ ܡܢ ܒܠܗ ܦܠܚܐ ܡܕܪܐ ܕܬܠܡܘܕܘܬܐ . ܐܝ ܕܝܢ ܢܣܒܐ ܕܒܪܢܐ
ܠܐ ܫܟܚ ܘܢܗܪ ܒܪ ܠܐ ܡܫܡܫܢܐ · ܢܫܒܘܩ ܒܢܝܢܝܬ ܥܡܡܝܬܐ
ܚܕ ܘܐܝܟܢ ܗܠܠܝܢ ܡܢ ܕܒܪܐ ܘܠܐ ܢܗܘܐ ܐܢܫ ܠܒܪܗܘܢ
ܕܢܣܒܠ ܠܬܠܡܝܕܐ ܕܐܫܡܫܬܝ ܘܢܬܒܠܒܠ ܐܦ ܠܡܕܒܪܢܘ̈ܬܐ
ܕܝܨܪܐ : ܐܝ ܕܝܢ ܒܪ ܡܫܡܫܢ ܐܝܬ ܠܢܫܐ ܠܟ ܫܘܫܒܐ ܕܐܡܪܬ
ܫܪܗܒ ܠܟܠ ܒܟܠܗܝܢ ܕܢܫܝܐ ܠܒܪܐ ܘܐܦܠܐ ܠܟ ܒܟܝܠܐ ܠܐ
ܐܫܬܪ ܒܗ . ܐܝ ܕܝܢ ܠܠܒܢ ܠܟ ܒܗܪܐ . ܠܬܘܒ ܡܫܒܪ ܒܪ
ܒܫܬܪܝܬ ܡܪܡܫܬܐ ܚܕ ܒܡܐ . ܘܒܠ ܦܬܟܡܐ ܕܢܫܐ ܕܝܠܒܐ
ܬܠܒܝܢ ܒܫܒܒܠܗ ܐܢܫܘܗܝ ܩܕܡܬܐ ܫܟܢܬܐ : ܘܐܝ ܐܘܒ ܗܟܢ
ܠܟ ܐܘ ܠܠܒܢ ܠܟ . ܐܪܥܐ ܠܡܕܒܪܢܘܬܐ ܘܫܡܫ ܒܡܕܒܪܐ ܒܝܠܘܐ
ܘܐܡܪ : ܐܢܐ ܠܗ ܡܢܝܢܐ ܕܐܡܢܐ ܒܪܝ ܐܢܐ . ܐܠܐ ܕܠܐܘܢܐ ܐܡܢܐ
ܒܪܝ ܐܢܐ . . . .
. . . ܠܐ ܗܘܐ ܒܡܫܐ ܐܝܬܘܗܝ ܫܪܪܐ ܒܠܗ . ܘܠܐ ܐܘܒ ܐܢܫܐ
ܕܡܕܒܪܢܘܬܐ ܒܠܚܘܕ : ܐܠܐ ܐܝܬ ܕܒܡܕܒܪܢܘܬܐ ܡܦܩܝܢ ܠܠܒܐ ܒܠܗ.
ܘܐܝܬ ܕܒܫܡܫ ܒܡܕܒܪܐ ܠܬܝܒܘܬܐ ܚܫܝܫܬܐ ܘܡܬܪܥܝܢܐ ܕܒܠ

ܐܟܢܐ . ܘܐܝܬ ܕܒܥܕܬܐ ܘܒܩܘ̈ܪܝܐ ܒܐܘܪ̈ܚܬܐ ܟܠ ܚܕ ܣܓ̈ܕܘܢ :

ܐܡܪ ܟܠ ܚܕ ܡܢ ܐܒ̈ܗܝܢ ܕܐܒܢܐ ܘܐ̈ܒܗܬܢ ܕܡܢ ܚܕܐ ܡܟܬܒܬܐ

ܗܘܐ ܠܘܬܗ : ܐܢܐ ܫܡܥܬ ܐܝܟ ܕܒܢܝܐ . ܐܢܬ ܕܝܢ ܫܡܥܘܢ

ܠܗ ܐܝܟ ܠܒܪܐ : ܘܫܡܥܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܐܒ̈ܗܬܐ ܘܐܚ̈ܐ ܕܥܡܐ

ܒܬܫܡܫܬܐ ܗܢܐ ܒܚܝܠܐ ܡܢ ܟܪܐ ܘܠܐ ܫܠܐ ܗܘܐ . ܘܫܠܡ ܥܡܫܡܫܬܐ

ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܠܗ ܗܕܐ ܥܘܠܐ ܒܠܚܘܕ ܒܐܝܡܡܐ ܘܒܠܠܝܐ :

ܐܝܬ ܕܘܟ ܡܢ ܫܠܝܚܐ ܡܢ ܢܡܘܣܐ ܡܬܐܡܪ ܫܘܪܝܗ ܕܠܠܝܐ

ܒܫܘܢܝܬܐ ܘܒܬܫܒ̈ܚܬܐ ܘܒܡܙ̈ܡܘܪܐ ܘܩܪܝܢܐ ܕܩܢ̈ܘܢܐ ܦܫܝܢ ܡܬܢܒܝܢ :

ܘܐܝܬ ܕܦܠܓܝܢ ܠܗܘܢ ܠܫ̈ܥܐ ܕܠܠܝܐ ܠܡܘܬ̈ܒܐ ܕܟܠ ܚܕ ܡܘܬܒܐ

ܠܡܘܬܒܐ ܬܠܬ ܢܘܗܪܐ ܘܡܫܬܦܪܝܢ ܒܩܠܬܐ ܥܡ ܡܫܬܐܠܢܝܢ :

ܐܝܬ ܕܘܟ ܕܫܐܠ ܠܡܘܬܒܐ ܠܢܦܫܗ ܕܠܐ ܢܦܠ ܒܫܢܬܗ

ܠܝܡܝܢ ܐܦܠܐ ܒܝܠܘܬܐ ܕܡܫܠܡ ܡܢ ܩܕܝܫܘܬܐ ܐܝܟ ܕܐܝܬ ܠܗܝ

ܠܗܘܪܐ . ܐܠܐ ܒܫܡ ܡܫܝܚܐ ܠܐܫܝܐ ܡܬܟܠܢ ܠܟܠܝܐ ܡܠܗ : ܡܢ ܦܓܪ

ܟܠ ܡܢ ܦܘܩܕܢܐ ܐܡܪܢܐ ܕܡܠܟܐ ܡܫܝܚܐ ܗܘܐ ܫܠܡܗ ܫܪܝܪܐ

ܕܐܢܘܬܐ ܘܒܫܡ ܡܢ ܐܒܗܝܢ ܠܐ ܫܠܐ ܗܘܐ ܡܠܬܗ . ܕܝܗܒ ܢܦܫܗ

ܠܟܠܡܐ ܕܝܗܘܐ ܘܦܬܚ ܠܫܘܡܠܐ ܠܢܦܫܗ ܕܠܐ ܢܦܠ ܒܫܢ̈ܬܗ

ܠܝܡܝܢ . ܐܠܐ ܡܠܟ ܒܠܒܗ ܠܟܠܐ . ܡܢ ܦܬܓܡܐ ܕܟܬܒܘܗܝ . ܘܠܐ

ܫܠܡ ܗܘܐ ܒܩܪܝܐ ܒܥܢܝܐ ܠܟܪܝܐ . ܗܠܝܢ ܒܟܠܗܘܢ ܒܦܘܪܫܢܐ

ܐܝܬ ܒܟܠܡܠܐ ܕܝܗܘܐ ✠

Id est : « Quando vis peragere sacrum officium in « vigilia, adjuvante Deo, sic fac ut dicam tibi : Genuflecte,

« prout mos est, et surge, ac postea ne statim incipias « officium tuum (1), sed postquam inclinasti te et salutasti « signastique cor et membra tua signo vivifico, sta paullu- « lum temporis silens usque dum quiescant sensus tui et « cogitationes tuae pacatae sint ; postea dirige attentionem « tuam interne ad Dominum et enixe roga eum ut sustentet « infirmitatem tuam utque juxta beneplacitum ipsius volun- « tatis ordinantur sententiae linguae tuae et motus cordis « tui. Dic silentiose in oratione cordis tui : Domine mi et « Deus meus, Conditor mundi cui manifestae sunt nostrae « passiones imbecillitasque nostrae naturae et fortitudo « inimici nostri : tu ipse serva me ab ejus malitia..... Et « cum recollecta dispositaque mens tua erit, incipe sine « perturbatione officium tuum atque in eo libenter persevera « usque ad finem. Oportet enim nos in ministerio nostro « liberos esse ab omni juvenilium perturbatrice sollicitu- « dine. Si autem videmus quod non multum tempus supe-

(1) Ut bene intelligantur quae sequuntur necesse est exponere quaedam vocabula liturgica quae hic saepius occurrunt. Sacrum officium Syri ܬܫܡܫܬܐ *ministerium* appellant. Syri Nestoriani et Chaldaei sacrum officium dividunt in officium *Vesperae*, *Noctis* et *Matutini* (ܬܫܡܫܬܐ ܕܪܡܫܐ ܘܕܠܠܝܐ ܘܕܨܦܪܐ), quae divisiones respondent Vesperis cum Completorio, Matutino et Laudibus Latinorum. Syri Jacobitae, Syri uniti et Maronitae hisce partibus officii divini addunt Horas tertiam, sextam et nonam, ut Latini.
Porro apud Syros, sicut apud Latinos, psalmi magnam constituunt partem divini officii. Psalterium a Nestorianis et Chaldaeis dividitur in viginti ܗܘܠܠܐ *hulalas* seu sectiones, quarum tres recitantur ad officium noctis in diebus dominicis et festivis. Cuique hulalae inseruntur breves cantus, ad modum antiphonarum qui ܡܪܡܝܬܐ *Marmiatha* seu orationes jaculatoriae appellantur. Jacobitae et Syri uniti officium noctis in tres ܩܘܡܐ *Kaume* seu *stationes*, Chaldaei vero et Nestoriani in ܡܘܬܒܐ *sessiones* dividunt ad modum nostrorum Nocturnorum. Vide *Breviarium chaldaicum*. Paris, 1886-1888 ; *Breviarium syrorum* Mausili ; 1886. — Cf. etiam Bickell, *Conspect. rei litt. Syror.* Cap. X.

« rest et illuscescat cum nondum absolvimus, relinquamus « voluntarie stationem unam aut duas hulalas ex officio « consueto, ne sit locus perturbationi et deperdamus sua- « vem gustum officii nostri perturbemusque etiam psalmos « officii matutini. Si autem tibi ministranti sussurat cogi- « tatio dicens : festina quidem paulisper ut expediatur opus « et liberum sit tibi cito abire, ne ei attendas. Si autem ea « opprimeris, reverte potius retro marmithae ; et totum « orationis versiculum plenum sensum efformantem pluries « reitera. Et si adhuc turbat te et opprimat, dimitte psal- « modiam, flecte genua in oratione et dic : ego nolo verba « numerare sed moras implere quaero (1).

..... Vigilia non est unice statio nec unice recitatio psal- « morum ; sed sunt qui in psalmis transeunt totam noctem ;

(1) Quae hic et alibi circa officium divinum persolvendum docet Isaacus suadent Syros in deserto Scetensi habitantes secum patrios mores adsportasse. Apud aegyptios enim monachos res plane aliter procedebat. Istorum ritus accurate describit Cassianus (*de Coenob. inst.*, lib. II et III) heicque summatim exibere juvat. Moris igitur fuit apud eos singulis diebus bina vice in choro seu oratorio convenire, nempe, ad vesperam seu completo die, quam vocabant horam lucernalem, quia tunc lucernas accendebant et deinde circa mediam noctem. In utroque conventu psalmi duodecim canebantur, quos unus dumtaxat lector aut cantor, in medio fratrum assurgens, suaviter decantabat aut clara voce recitabat, cui tamen ne cantando deficeret, alii vicissim succedebant, tres aut quatuor ad summum ; ita ut singuli saltem ternos psalmos cecinerent. Summum interea silentium servabatur, ceteris humi sedentibus et, in psallentis verba toto animo defixis, mente non voce psallentibus. Psalmos praesertim longiores non continuo et uno tractu ad finem usque percurrebant, sed quibusdam intersectionibus, post denos scilicet aut duodenos versus, paulisper pausando, brevi orationi aut meditationi insistebant. Ipsis ignota erat doxologia *Gloria Patri* etc, sed post psalmum duodecimum respondebant *Alleluia*. Psalmis duae lectiones succedebant, una de Vet., alia de Novo Test., exceptis dominica et sabbato, quibus utraque de Novo Test. sumebatur. His peractis, omnes in genua procidebant Deo gratias agentes ac statim, omnibus erectis, abbas sive qui praeerat congregationi, velut omnium vota colligens ac Deo offerens (unde *collectarum* appelatio), publica oratione offi-

« sunt qui in genuflexionibus, orationibus patheticis, pros-
« trationibus super terram ; sunt qui in fletibus, lacrymis,
« lamentationibus super peccata sua. Dicitur unum ex
« Patribus nostris per quadraginta (annos) (1) unicum ver-
« bum pro oratione habuisse : Ego peccavi sicut homo, tu
« autem parce mihi sicut Deus ; et audiebant eum patres et
« fratres reiterantem hanc sententiam in dolore, dum lamen-
« tabatur nec desistebat eratque ei pro officio haec unica
« sententia per diem et noctem. Sunt etiam qui fere a ves-
« pera decantant reliqua nocte responsoria, cantica, hymnos
« aliosque cantus et hoc faciendo adorant ; est etiam qui
« dividit horas noctis in sessiones et inter sessionem unam
« et alteram accendit lumen et se oblectat in Scriptura
« usque dum deficiat. Sunt iterum qui sibi definiunt non
« flectere prorsus genua, ne in oratione quidem finali mar-
« mithae, sicut mos est in vigilia, sed uno tenore stantes
« transeunt totam noctem. De aliquo sancto narratur quod,
« quia impugnabat eum daemon fornicationis nec ullo
« modo cessabat, dedit seipsum labori vigiliae et constituit
« sibi non curvare genua omnino sed stare per totam
« noctem ; aperti erant oculi ejus et non flectebat genua
« usque mane. Hi omnes diversi modi ocurrunt in labore
« vigiliae. »

cium terminabat. Tunc singuli monachi ad cellas revertentes et residuo noctis spatio excubantes, orationi et labori vacabant usque dum, adveniente aurora, nocturno operi diurna operatio succederet. Diurna officia (Tertiam, Sextam et Nonam) singuli privatim in cellis exsolvebant et in singulis tres psalmos cum oratione recitabant, quibus tamen alias preces et orationes privatas ita intermiscebant, ut totum diei tempus ad vesperam usque in his officiis consumerent, orationi simul et labori manuum insistentes. Non enim plusquam semel in die simul convenire solebant, exceptis diebus dominicis et sabbatinis, quibus hora tertia in ecclesia congregabantur ad divina mysteria celebranda.

(1) Forsan melius : per quadraginta dies, aut per tempus quadragesimae ; vel etiam est loquutio indefinita, scilicet : per longum tempus.

Jejunium vero et vigiliae quantumvis efficacia sint, fructum tamen non obtinebunt nisi monachus se custodiat a familiaritate hominum. Haec enim omnes conatus in via perfectionis cassos irritosque facit. Est monacho perniciosissimum malum quod superbiam generat (1).

ܐܘ ܟܡܐ ܒܝܫܐ ܚܫܝܬܐ ܘܡܚܒܠܢܝܬܐ ܕܐܢܫܐ ܬܐܠܝܐ ܕܡܬܕܒܪܝܢ
ܒܚܠܝܐ . ܘܐܝܟ ܕܐܡܪ ܡܢ ܗܘ ܕܫܪܐ ܘܫܒܩܗ : ܫܪܝܪܐܝܬ
ܐܫܬܐ . ܕܐܝܟ ܚܛܝܬܐ ܕܟܦܝܐ ܕܟܪܗܐ ܕܡܬܠܚܡܐ ܟܪܗ ܒܠ ܒܥܝܬܐ
ܕܐܝܟܢܐ . ܘܡܬܒܥܝܢ ܬ̈ܚܘܡܘܗܝ ܕܐܢܫ̈ܐ ܕܟܠܗܘܢ ܡܢ ܫܒܝܠܐ :
ܗܟܢܐ ܟܝܢܐ ܕܒܢ̈ܝܢܫܐ ܘܐܦܢ ܠܥܠ ܐܢܫ ܘܡܫܬܘܕܥ ܕܠܐܦܘܬܐ
ܗܘ ܒܟܠܗܘܢ : ܡܚܒܠ ܠܟܘܪܗܢܐ ܕܡܐܬܝܬܐ ܘܐܦ ܒܡܘܬܐ ܬ̈ܚܘܡܘܗܝ
ܫܘܐܝܬ ܡܢ ܡܬܚܒܠܢܘܬܗ ܕܐܪܐ ܕܫܡܝܐ : ܕܡܫܡܫܝܢ ܦ̈ܝܠܐܝܬ
ܠܐܡܝܢ ܠܒܫܐ ܕܐܬܠܒܫ ܟܠ ܢ̈ܦܫܐ ܕܡܫܡܫܢܐ ܀ ܘܐܝܟ ܕܟܬܒܗ
ܚܟܝܡܐ ܕܡܦܪܫ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܫܪ̈ܝܪܬܐ ܕܡܠܟܐ . ܘܡܫܡܫ ܬ̈ܫܡܫܬܗܘܢ
ܘܡܫܟܠ ܠܗܘܢ ܐܢܫܐ : ܗܢܐ ܟܝܢܐ ܕܒܢ̈ܝܢܫܐ ܠܫܡܝܐ ܕܪܘܚܢܐ
ܕܚܝܪ ܡܬܘܪܝܢ ܒܡܫܡܫܐ ܕܡܫܝܚܐ . ܡܫܡܫܝܢ ܬ̈ܫܡܫܬܗܘܢ ܘܡܫܟܠ
ܠܗܘܢ ܐܦܢ ܠܡܫܡܫܘܬܗܘܢ ܘܡܠܟܐ ܕܫܡܝܐ : ܘܐܦ ܟܝܢܐ
ܕܐܝܠܝܢ ܕܩܪܝܢ ܘܡܚܠ ܐܢܫܝܢ ܠܬܫܡܫܬܗܘܢ . ܒܟܠܗܝܢ ܟܢܘܫܐ
ܒܟܫܘܪ ܘܡܢ ܡܫܡܫܢܐ ܕܐܝܟܢܐ . ܗܢܐ ܒܟܠܗ ܡܠܐ ܠܟܝܢܐ . ܟܡܐ
ܡܬܝܬܐܝܬ ܡܫܒܠܢܐ ܘܫܒܝܠܐ ܕܫܡܫܘܬܐ ܘܦܘܪܫܢܐ ܕܢܐ ܐܡܪ
ܘܕܠܡܫܡܫܢܐ . ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ ܐܝܟ ܢܦܫܐ ܠܟܢܫܐ : ܘܐܦܢܐ ܕܡܫܡܫܐ

(1) Add. msc. 14632, fol. 37*b*.

ܡܫܝܚܐ ܘܗܘܕܝ̈ܐ ܕܢܒܝ̈ܐ ܗܘܐ ܒܫܘܡܠܠܐ ܥܒܕܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܡܬܝܠܕܘܬܐ
ܒܬܘܠܬܗ ܘܡܬܓܠܝܢܘܬܗ ܡܫܝܚܝܘܬܐ ܘܩܝܡ ܫܘ̈ܒܚܐ ܠܒܪܝܬܐ ܕܒܪ̈ܝܢ
ܒܝܠܕܗ ܡܢ ܫܡܝܐ ܕܫܡܥܢܐ. ܘܡܬܓܠܝܢܘܬܐ ܠܒܪܝܬܗ: ܗܟܢܐ
ܡܬܝܠܕܢܐ ܒܬܘܠܬܗ ܕܢܘܚܐ ܡܢ ܟܠܗܝܢ ܘܚܕܐ ܕܒܬܘ̈ܠܬܐ.
ܘܡܠܟܐ ܠܚܝܐ ܕܝܗܘܕܝܐ. ܘܡܬܠܒܫܐ ܡܢ ܕܠܝܠܗ ܘܠܗ ܟܠܗ ܢܘܚܐ
ܕܝܠܗܘܢ. ܘܦܘܪܩܢܐ ܡܢ ܗܝܡܢܘܬܗ ܘܠܗ ܘܐܬܦܐܬ ܕܡܝܬܐ
ܚܝ̈ܝܢܐ. ܠܚܕܐ ܘܩܝܡܬܐ ܕܩܕܝܫܘܬܐ. ܐܝܟ ܗܘ ܐܢܫ ܗܘܐ
ܗܘܐ. ܘܚܛܝܬܐ ܠܒܪܝܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܗܘܐ ܦܘܪܩܢܐ ܕܦܘܪܫܢܐ ܘܐܝܟܢܐ
ܕܐܝܟ ܕܟܝܢܗ . ܟܕ ܢܦܩ ܘܡܫܬܟܚ ܦܘܪܫܢܐ ܗܘ ܡܬܚܙܐ ܠܗ
ܘܡܠܟܝܢ ܠܟܠ ܕܒܫܡܝܐ ܘܡܫܡܫܝܢ ܠܗ. ܟܕ ܗܘ ܕܐܬܚܫܒܬܗ
ܡܢ ܫܡܝܐ ܘܡܫܒܚܢܘܬܐ ܦܘܪܩܢܐ. ܗܘܐ ܕܝܢ ܗܘ ܚܙܐ ܒܪܘܚܐ
ܕܐܬܐ ܒܡܫܒܚܐ ܦܘܪܩܢܐ ܕܡܠܟܘܬܗܘܢ . ܐܦ ܗܘ ܕܩܛܠ ܒܪܝܬܐ
ܒܪܘܚܐ ܗܢܐ ܟܠܗ ܫܒܝܠܐ ܡܫܡܫ ܠܒܝ ܒܫܡܝܐ ܕܢܛܪ.
ܡܛܠ ܠܐܢܫ ܟܠ ܦܘܪܩܢܐ ܕܐܬܓܠܝܬ . ܐܘ ܟܠ ܗܝܡܢܐ
ܗܝܡܢܐ ܕܒܗܘܢ ܀ ܟܕܘܢ ܕܡܢ ܒܪܬܐ ܦܘܪܩܢ ܠܡܫܝܚܬܐ
ܘܫܡܝܐ ܐܡܝܢܘܬܗܘܢ ܐܝܟ ܠܡܫܝܚܐ ܕܡܢ ܦܘܪܩܢܐ ܕܐܘܟܠ ܦܘܪܩܢ
ܠܒ̈ܢܝ ܡܫܡܫܢܐ ܀ ܦܘܪܩܢܐ ܠܐ ܟܠܗܘܢ ܕܡܫܒܚܐ ܦܪܝܫܐ : ܘܦܘܪܩܢܐ
ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܐ ܟܕܘ ܕܟܠܗܘܢ ܡܢ ܟܠ ܡܫܡܫܢܐ ܒܡܫܒܚܢܗ.
ܘܡܢ ܟܠ ܗܘ ܡܫܒܚܢܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܘܐܬܚܙܝܬ ܕܟܠܗ ܠܐ ܟܡܫܚ
ܠܡܫܒܚ . ܘܡܫܒܚܐ ܡܫܒܚܐ ܡܠܟܘܬܗ ܕܠܝܠܗ . ܡܠܟ ܕܒܪܝܬܐ
ܘܡܫܒ̈ܚܐ ܠܐ ܦܘܪܩܢ ܠܡܫܒܚܢ ܀

Id est : « O quantum malum sit adspectus et familiaritas « hominum illi qui in solitudine conversatur ! et quidem « majus ac illi qui liber est et remansit in saeculo. Revera, « fratres mei, quemadmodum aestus vehemens frigoris qui « subito incidit in germina arborum deurit gemmulas quae « in verticibus exortae sunt : ita conversatio hominum, « etiamsi sit valde brevis et conventus in bonum ordinari « reputetur, adurit surculos virtutum qui sub tepido (1) « solitudinis aere gemmulas emiserunt et avide obvolvunt « arborem animae quae plantata est juxta rivos poeniten- « tiae (2). Et sicut vehementia gelu quae attingit germina « nova radicum inurit eorum gemmas reconditque in medio « terrae : ita conversatio hominum radicum mentis, quae « coepit virescere in pratis virtutum, ramulos inurit, interius « contrahit eorumque vigorem destruit. Et si solum con- « sortium illorum qui ferme continentes sunt, propter « impedimentum dumtaxat operis consueti, adeo laedit « animam : quanto magis colloquium et visus insulsorum « stultorumque, ne dicam mundanorum. Est enim sicut « ignis in sylva.

« Sicuti vir nobilis et bene moratus (3) immemor fit suae « condicionis potu multi vini perturbationemque patitur « suae honestatis et diminutionem honoris atque castitatis, « e cogitationibus alienis, quae menti ejus virtute vini inge- « runtur (4): ita anima colloquio et adspectu hominum hones-

(1) ܡܡܙܓܘܬܐ, gr. : *ἐκ τῆς συγκράσεως τῆς ἡσυχίας.*

(2) Graecus paraphrastice : *κυκλοῦντα μετὰ ἁπλότητος καὶ τρυφερότητος τῷ φυτῷ τῆς ψυχῆς τῷ φυτευθέντι ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν δακρύων τῆς μετανοίας.*

(3) ܚܐܪܐ ܘܡܝܩܪܐ, gr. *εὐγενὴς καὶ ἔντιμος.*

(4) Valde familiaris est nostro Auctori haec comparatio monachi cum homine ebrio, sive in malam partem ut hic, sive etiam in bonam, v. gr. quando comparat effectus amoris divini virtuti vini : sicut haec memoriam obnubilat, ita ille oblivionem temporalium producit.

« tatis suae perturbationem patitur fitque immemor boni « sui propositi, ac omne amittit voluntatis consilium. « Omne laudabilium actionum fundamentum prorsus era- « dicant conversatio et inhalatus oblectationum. Ipse homo « qui silentium observat detrimentum patietur in hujus- « modi occursibus ; sufficit enim ut videat et audiat illud « tantum quod introducunt januae oculorum ejus et auditus, « ad avertendam mentem ipsius a rebus divinis et ad eam « valde perturbandam. Si autem solus iste hominum visus « et vanus eorum colloquii auditus, quamvis per breve tem- « pus productus, totam hanc destructionem facere potest in « religioso custodito, quid dicam de assiduis et protractis « colloquiis ?

« Fumi qui ex ventre ascendunt in scientiam divinorum « sunt sicut vapores qui ex humore terrae ascendunt in « coelum. Superbia non percipit se in tenebris ambulare ; « intelligentiam et sapientiam ignorat quia super omnia se « extollit in cogitationibus suis, dum prae omnibus est « misera et abjecta ; vias Domini scire nequit et Dominus « celat ei voluntatem suam, quia in via humilium noluit « ambulare. »

§ III.

DE OPERATIONE ANIMAE.

Operationi corporali succedit *operatio animae*, quam etiam, ut monui, operationem mentis quandoque vocat Auctor noster. Qualis sit ista operatio hoc ipse te docet (1) :

ܘܕܒܪܐ ܕܝܢ ܕܪ̈ܥܝܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܒܫܘܡܠܝܐ ܕܟܠܗ ܕܗ̇ܘܐ ܕܠܐ ܒܝܫܐ

ܒܫܝ̈ܢܬܐ ܕܗ̇ܘ ܕܝܢܐ ܪܒܐ ܕܟܠܡܕܡ : ܘܒܬܟܠܬܐ ܐܫܬܘܕܝܬܐ ܕܟܠܗ :

ܘܒܡܫܬܥܝܢܘܬܗ ܘܒܡܬܒܠܢܘܬܗ ܕܠ̈ܗܘܢ ܕܒܗܢܐ ܠܟܠܗܝܢ

(1) Cod. 14632, fol. 65*a*.

ܒܡܢܘ̈ܬܐ ܝܚܝܕܝܬܐ ܘܓܘܢܝܬܐ ܐܟܚܕܐ . ܘܡܛܠ ܠܡܢܛܪ ܠܚܫ̈ܘܬܗ ܚܫ̈ܐ
ܓܘ̈ܝܐ ܕܠܐ ܢܛܪܘܦ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܒܡܬܚܐ ܟܣܝܐ ܘܪܘܚܢܝܐ : ܗܢܘ
ܥܡܠܐ ܕܠܒܐ ܕܩܪܝܢ ܠܗ ܦܘܠܚܢܐ ܕܗܘܢܐ ܀

Id est : *Operatio mentis est labor cordis qui fit perpetuo in meditatione magni judicii futuri per orationem continuam cordis, et per dispensationem et providentiam divinam quae, in hoc mundo, attingit ad partes proprias et communes simul, ad custodiendas intra limites suos passiones internas ne obripiat aliqua earum in partem absconditam et spiritualem. Is est labor cordis quem vocant operationem mentis.*

Sicuti operatio corporalis ad purificationem a materialibus et ab his quibus per externos sensus utimur tendit, ita operatio animae scopum habet mundare partem inferiorem, purgando phantasiam ab imaginibus memoriamque a recordationibus rerum saecularium et continendo intra justos limites appetitum sensitivum.

In hoc negotio praecipua subsidia, quibus utitur monachus, sunt *oratio* et meditatio quam assidua *lectio Scripturarum* fovere debet.

Mirabiles effectus orationis pulchris tropis describit Isaacus (1) :

ܨܠܘܬܐ ܠܡܐܢܐ ܗܝ ܕܥܘܕܪܢܐ . ܘܡܒܘܥܐ ܕܦܘܪܩܢܐ .
ܣܝܡܬܐ ܕܬܘܟܠܢܐ . ܘܐܘܓܝܢܐ ܡܦܨܝܢܐ ܒܝܬ ܡܚܫ̈ܘܠܐ .
ܘܡܬܠܘܢܝܬܐ ܕܡܣܟ̈ܢܐ . ܘܓܢܙܐ ܕܡܚ̈ܝܠܐ . ܘܣܬܪܐ ܒܩܪ̈ܒܐ
ܕܢܨܚ̈ܢܐ . ܘܡܫܬܡܠܝܢܘܬܐ ܒܩܪܒܐ ܕܗܘ̈ܢܐ · ܘܣܦܝܢܐ ܕܟܪ̈ܝܗܐ
ܒܫܪܒܐ . ܘܐܝܬܝܗ ܥܠܬܐ ܠܡܘܬܒܐ ܒܡܠܟܘ̈ܬܐ ܀

Id est : « Oratio est portus auxilii et fons salutis, the-
« saurus confidentiae, anchora liberatrix inter tempestates,

(1) Cod. 14632, fol. 30*a*.

« illuminatio obscurorum, baculum debilium, refugium in « tempore tentationis, medicina in tempore infirmitatis, « clypeus auxilii in proelio (1), sagitta acuta adversus « inimicos. »

Et alibi (2) :

ܐܟܙܢܐ ܕܡܬܦܨܚܝܢ ܐܦ̈ܘܗܝ ܕܒܪܝܬܐ ܒܙܠܝ̈ܩܘܗܝ ܕܫܡܫܐ .
ܒܫܪܝܐ ܕܥܒܝܘܬܗ ܕܐܐܪ : ܗܟܢܐ ܡܫܟܚܢܐ ܩܠܗ ܕܨܠܘܬܐ ܕܢܫܪܐ
ܘܠܡܥܒܪܘ ܡܢ ܢܦܫܐ ܥܢܢ̈ܐ ܕܚܫ̈ܐ . ܘܠܡܚܕܝܘ ܘܠܢܗܪܘ ܠܪܥܝܢܐ.
ܒܚܕܘܬܐ ܕܢܘܚܡܐ ܘܒܘܝܐܐ ܕܡܚܫܒ̈ܬܐ ܛܒ̈ܬܐ . ܝܬܝܪܐܝܬ
ܐܡܬܝ ܕܢܗܘܐ ܠܗ ܡܠܘܐܐ ܠܥܘܕܪܢܐ ܡܢ ܟܬ̈ܒܐ ܩܕܝܫܐ .
ܘܫܗܪܐ ܡܢܗܪܢܐ ܕܪܥܝܢܐ ܀

Id est : « Veluti hilaris fit facies orbis per radios solis, « dissoluta aeris crassitudine, ita potens est vox orationis « solvere et removere ab anima nebulas passionum et laeti- « ficare irradiareque mentem gaudio et consolatione, per « bonas cogitationes ; praesertim cum acceperit materiam « ex auxilio Scripturarum Sacrarum et vigiliae animi illu- « minatricis. »

Si enim alacriter proficere voluerit monachus in negotio perfectionis diu noctuque sacros codices pervolvere debet : « Nihil (enim) aptius est delere ab anima consuetudines « luxuriosas castigareque recordationes, quae accendunt « flammam perturbatricem in corpore, quam studium et « animi intentio in profundos sensus verborum Scripturae ». — Sunt verba nostri Auctoris (3):

ܠܝܬ ܡܕܡ ܕܗܟܢܐ ܫܦܝܪ ܠܡܥܛܝܘ ܥܝ̈ܕܐ ܕܙܢܝܘܬܐ ܡܢ

(1) ܦܪܘܩܐ. Codex fert mendose ܡܩܪܒܢܝܬܐ, *adductrix*. Vocem restitui ex graeco : ἀσπὶς λυτρώσεως ἐν πολέμῳ.

(2) Cod. 14632, fol. 35*b*.

(3) Cod. 14633, fol. 3*a*.

ܢܗܘܐ. ܘܠܡܬܒܩܢܘ ܠܟܘܢܗܐ ܡܦܪܫܘܬܐ ܡܟܣܝܢ ܒܥܒܝܘܬܐ
ܕܓܘܫܡܐ ܒܘܚܕܢܐ܆ ܐܝܟ ܒܗܘܢܝܬܐ ܕܒܚܝܪܘܬ ܡܒܝܢܘܬܐ
ܢܗܘܐ ܕܒܠܘܬ ܠܒܘܬܐ ܕܫܡܘܥܘܗܝ ܕܦܠܓܘܬܐ ܕܒܠܬܐ܀

Lectio autem, ut proficua sit, non qualitercumque peragenda est, sed sensum spiritualem sub cortice litterae absconditum sapiens asceta assequi et in animae suae utilitatem convertere conari debet (1) :

ܦܪܘܫ ܢܝܫܐ ܕܡܬܢܐ ܒܟܠ ܦܬܘܚܝܢ ܕܒܗܘܢ ܠܡܦܓܥ
ܒܩܪܝܬܐ ܕܟܬܒܐ܆ ܕܒܥܘܡܩܐ ܢܦܫܟ ܬܡܛܐ ܠܐܝܟ ܠܕܘܪܫܐ ܕܟܬܒܬܐ
ܕܐܝܬ ܒܟܬܝܒܬܐ ܕܐܢܫܐ ܢܗܝܪܐ܀ ܐܝܠܝܢ ܕܒܦܘܪܫܢܗܘܢ ܡܢ
ܐܠܗܐ ܐܬܚܙܝܘ ܠܡܬܢܗܘܢ ܒܦܘܠܚܢܐ ܐܠܗܝܐ ܡܛܠ
ܡܥܒܕܢܘܬܐ ܡܢܝܚܢ ܐܢܫܝܢܐ ܕܐܝܬ ܒܗܘܢ ܒܦܠܓܘܬܐ. ܗܘ
ܕܫܡܥ ܡܛܠ ܪܘܚܐ ܡܦܫܩܢܝܬܐ ܚܘܫܒܐ ܡܢ ܦܘܪܫܐ ܕܐܬܡܠܝܢ
ܒܪܒܐ ܪܘܚܐ ܠܒܘܫܢܐ ܠܢܦܫܐ܀ ܒܪܘܚܐ ܕܚܘܫܒܢܬܐ ܦܪܐ
ܒܦܠܓܘܬܐ ܪܘܚܐ ܐܦ ܠܒܗ ܡܬܦܫܩ ܘܗܘܐ ܡܢ ܚܝܠܐ
ܦܫܝܛܐ ܗܘ ܕܢܦܫܐ ܠܟܠܐ ܠܡܥܠܬܐ ܚܕܬܐ ܒܥܒܕܐ
ܕܡܬܡܗܝܢ ܢܗܘܐ܀ ܒܗ ܡܦܩ ܠܟܠ ܐܝܢܐ ܡܟܝܢ ܘܩܢܐ
ܘܢܗܘܐ ܒܗ ܡܢܬܐ ܡܢ ܪܘܚܐ ܗܢܐ ܕܡܥܒܕܐ ܡܟܠܬܐ ܕܢܦܫܢ
ܒܗ ܚܝܠܐ ܪܘܚܢܐ ܒܡܫܬܘܕܥܢܐ ܢܛܠ ܠܡܫܡܠܝܘܬܗ܀

Id est : « Distingue scopum figurarum (2) in quas occur-
« ris legendo scripturas ut profunde penetrans anima tua
« attingat sublimes sensus in scriptis virorum illumina-

(1) Cod. 14633, fol. 5*b*.

(2) Codex habet ܕܡܬܢܐ, puto legendum ܕܡܬܠܐ.

« torum reconditos. — Qui in sua agendi ratione a gratia « deducuntur ad illuminationem, quasi per radium quem- « piam spiritualem perspiciunt semper, qui radius pervadit « et spoliat coram intellectu loquutionem ab involucro « verborum, ut mens penetret explanationem spiritua- « lem. — Hominis qui litteraliter sententias legit altissi- « mas cor obscuratur et privatur illa virtute quae dat ei sua- « vem gustum per intellectus qui animam stupefaciunt. — « Omnia ad affine suum tendere solent : et anima, in qua « est pars spiritus, ubi audit verbum in quo absconditur « virtus spiritualis vehementer inflammatur ejus inter- « pretatione (1). »

Hujus assiduae scripturarum lectionis subsidio indiget homo usque dum ipse Spiritus Sanctus, per mirabiles suas operationes, in anima perfecta eam supplere dignetur (2):

ܠܘܩܒܠ ܕܡܩܒܠ ܒܪ̈ܢܝܐ ܦܘܪܫܢܘܬܐ ܟܠ ܪܘܫܡܐ ܕܕܘܒܪܐ
ܫܠܡܝܢ ܕܒܪܘܚܐ ܠܩܪ̈ܝܢܐ ܡܬܚ̈ܫܒܢܐ ܠܩܘܕܫܐ ܒܠܒܗ .
ܘܡܬܬܠܡܕ ܡܢ ܗܘܢܐ ܕܒܗܘܢ ܠܝܬ ܐܢܘܢ ܠܚܝ̈ܘܬܐ ܕܡܫܬܘܕܥܢܘܬܐ
ܘܡܬܗܝܪܘܬܐ ܕܡܢ ܐܘܪ̈ܚܬܐ ܡܬܦ̈ܫܩܬܐ ܕܚܟܡܬܐ ܒܠܒܘܬܗ ܢܦܫܐ .
ܒܡܢ ܣܓܝ ܐܘܪܚܐ ܕܢܦܫܐ ܠܐ ܠܡܩܒܠ ܡܢܐ : ܕܢܦܫܗ ܠܡܬܒܥܝܘ
ܗܝ ܕܡܬܠܒܫܐ ܠܒܪ̈ܢܝܐ ܡܬܩܪ̈ܒܢܐ ܡܢ ܒܪܝܬܐ ܘܡܬܩܪܒܐ ܠܘܬܗ
ܗܘܝܬܐ . ܒܡܢ ܦܠܚܘܬܐ ܕܗܘܢܐ : ܡܢ ܕܝܢ ܕܢܣܒ ܕܢܦܫܐ ܓܒܠ

(1) Quid sint isti « eximii sensus », « intellectus profundi » « scopus absconditus », Scripturarum ? Nihil aliud utique ac mystica seu allegorica interpretatio cui noster Isaacus, scholae alexandrinae sub influxu, et Origenis vestigia praemens, multum vel potius nimium concedit. Rei exemplo esse potest sermo XXIX, *De dominica et sabbato*, quem hac potissimum de causa, ex integro ad finem Dissertationis edidi. (Append. num. III).

(2) Cod. 14632, fol. 25*b*.

ܘܫܪܐ ܚ̈ܝܠܘܬܗ ܡܬܝ̈ܕܥܢܐ ܕܢܦܫܐ ܕܚܠܬܐܠܗܐ. ܗܝܕܝܢ ܚܠܦ

ܢܡܘܣܐ ܕܟܬܝܒܬܐ ܢܩܫ ܡܬܥܗܕܢܝܢ ܒܠܒܐ ܒܡܦܪ̈ܫܢܝܬܐ ܕܪܘܚܐ.

ܗܠܝܢ ܕܗܘ ܠܒܐ ܒܫܝܐܝܬ ܡܠܦܗ ܡܢ ܪܘܚܐ ܡܛܠ ܕܠܐ ܡܣܬܢܩ ܠܗ

ܠܥܘܕܪܢܐ ܕܗܘ̈ܠܐ ܡܪ̈ܓܫܢܝܬܐ ܒܝܕ ܡܨܥܝܘܬܐ ܕܪ̈ܓܫܐ ܀

Id est : « Quousque recipiat homo Paracletum libris « scriptis eget, ut per exempla recordationes egregias susci- « piat in corde suo et constanter ex meditatione earum « renovet incitamenta ad virtutem et ad cavendum a viis « duris quas peccator in seipso videt, quia nondum possidet « Spiritus virtutem quae depellit errorem aufferentem ab « homine utiles recordationes et adducentem frigiditatem « per mentis dissipationem. Ubi autem virtus Spiritus « supervenit et solvit potentias cognoscitivas animae reli- « giosae, tunc pro lege scripturae infiguntur in corde sug- « gestiones spirituales quas ipse Spiritus cor occulto docet, « quin indigeat auxilio materiae sensibilis, per medium « sensuum.

Hanc tamen divinam operationem non experietur homo nisi postquam se integre ab omni externae et internae pravitatis labe mundaverit (1) :

ܠܗܕܐ ܕܝܢ ܕܡܛܐ ܒܪܢܫܐ ܒܪܝܐ ܡܢ ܫܘܚܪ̈ܢܐ ܕܟܠܗܘܢ

ܠܗ ܒܠܚܘܕ ܚܕ ܫܠܝܡܘܬܐ ܐܠܐ ܘܡܢ ܒܠܒܗ ܒܚܫܠܢܐ ܦܓܪܢܝܐ.

ܘܒܪܝܐ ܕܠܝܬ ܡܢ ܠܗܘ̈ܢܐ ܡܐ̈ܢܐ ܕܫܢ̈ܝܬܐ ܘܐܘܠܦܢܐ ܕܒܢܝܢܐ

ܡܬܬܥܠ ܘܡܠܐܟ ܒܥܝܪܐ ܒܪܝܫ ܘܡܬܚܠܦ ܒܝܕ ܠܡܠܠܐ ܕܠܐ

ܐܝܬܘܗܝ ܠܒܝܐ ܒܟܠܗ ܫܠܝܡܘܬܐ ܕܫܠܝܛܘܬܐ. ܪܘܚܐ ܕܟܠܗ ܫܠܝܡܘܬܗ

ܠܐ ܡܬܬܒܥܐ ܒܟܬܒܐ ܀

(1) Cod. 14633, fol. 17b.

Id est : « Donec enim moriatur homo exterior a rebus « saeculi, non solum a peccato sed et ab omni actione « carnali, et homo interior a recordationibus, usque dum « vasa turpitudinis et motus naturae debilitentur et mori- « antur in carne paullatim per laborem, et non (amplius) « praevaleat in corde dulcedo peccati, dulcedo Spiritus Dei « non operatur in homine. »

Hac itaque duplici operatione corporis et animae homo non solum a defectibus mundatur sed etiam virtutes acquirit quae decent bonum monachum cujus imaginem eleganter describit Isaacus in haec verba (1) :

ܫܘܒܗܪܐ ܕܦܓܪܗ ܕܡܫܝܚܐ ܕܘܒܪܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܡܫܝܚܝܐ . ܡܠܟܐ
ܗܢܐ ܐܪܦܝ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܡܢ ܟܠܗܘܢ ܢܦ̈ܫܬܗ ܗܘܐ ܕܢܫܡܫܢ
ܫܘܦܪܐ ܕܐܫܬܡܠܝܘܬܗ ܒܫܠܡܘܬܐ ܕܗܪ̈ܡܘܗܝ . ܒܫܘܠܡܠܝܐ ܕܐܫܬܡܠܝܘܬܗ·
ܒܡܠܠܝܢܘܬܗ ܕܡܢ ܡܫܝܚܝܬܐ . ܒܫܬܝܩܘܬܐ ܕܡܫܪܝܘܬܗ .
ܒܡܣܟܢܘܬܗ ܡܫܝܚܝܬܐ ܕܟܠ ܚܝ̈ܐ . ܒܡܟܝܟܘܬܐ ܕܪܘܚܗ .
ܒܫܠܝܐ ܐܫܠܝܐ . ܒܡܫܡܠܝܘܬܐ ܕܪ̈ܓܫܘܗܝ . ܒܠܒܝܫܘܬܐ
ܕܚܝܬܗ . ܒܠܐ ܚܫܝܫܘܬܗ ܕܟܠ ܟܠ ܒܚܫܐ ܕܡܢ ܩ̈ܪܘܢ ܕܟܪܝܬܐ .
ܡܢ ܐܢܫܘܬܐ ܕܡܠܠܬܗ . ܡܢ ܕܒܥܘܬܗ ܕܡܢ ܐܟܠܐ . ܡܢ
ܒܫܝܢܘܬܗ ܕܦܘܪܫܢܐ ، ܘܕܠܗܘܢ ܡܫܟܝܢ ܕܥܠܝܪܐ ܐܝܠܝܢܘܗܝ
ܠܗܠܝܢ ܚܝܐ ܚܫ̈ܒܐ ܘܦܘܪܫܢܐ ܘܦܘܪܩܢܐ ܠܗܠܝܢ ܫܦܝܪܐ
ܘܪܘܚܢܐ . ܡܢ ܐܠܘܬܐ ܕܠܘܬ ܢܦܫܗ . ܡܢ ܠܐ ܡܬܦܠܓܘܬܗ
ܕܒܬܪ ܟܠܢܝܬܐ . ܘܠܐ ܐܫܬܪܝܘܬܗ ܕܒܠܥܢ ܚܒܪܝܬܐ

(1) Cod. 14632, fol. 34*a*.

ܘܡܫܝܚܐܝܬ . ܘܡܛܠ ܗܕܐ ܝܐܐ ܕܡܬܚܙܝܢ . ܘܡܛܠ ܡܟܝܟܘܬܐ
ܕܗܕܡܘܗܝ . ܘܡܛܠ ܐܠܘܪܘܬܐ ܘܚܣܝܪܘܬܐ ܕܙܘܥܗ . ܘܡܛܠ
ܠܦܘܣܩܗ ܕܡܛܠ ܒܠܝܬܐ . ܘܡܛܠ ܐܫܬܠܡܘܬܗ ܕܥܒܕܘܬܐ .
ܘܡܛܠ ܫܠܝܘܬܗ ܘܡܥܘܪܘܗ ܕܡܛܠ ܐܡܪܐ · ܘܡܛܠ ܠܐ ܐܫܬܪܝܘܬܗ
ܕܚܫܐ ܕܐܦܠܐ . ܘܡܛܠ ܠܡܘܡܐ ܙܢܐ ܕܡܫܬܥܒܕܢܘܬܗ · ܘܡܛܠ
ܫܡܝܫܘܬܗ ܕܒܫܝܫܘܬܐ ܘܡܛܠ ܚܣܝܢܘܬܗ ܕܡܛܠ ܗܡܝܢܐ
ܘܡܟܬܒܐ ܕܦܪܝܫ ܠܟܠܗܝܢ . ܘܡܛܠ ܡܢܝܬܗ ܐܡܝܢܬܐ ܘܦܘܪܩܗ
ܕܒܗܘ ܐܝܟ ܗܦܟܐ . ܘܡܛܠ ܕܥܡܛܐ ܡܛܠ ܠܐ ܒܘܪܟܐ ܕܒܪܘܟܗ
ܘܡܫܬܟܚܢܘܬܐ ܕܐܡܦܘܪܐ . ܘܡܛܠ ܒܥܘܗ ܐܡܝܢܐ ܕܠܟܠ ܘܐܡܛܠ .
ܘܠܘܩܒܠ ܡܛܠ ܒܠ ܡܛܠ ܡܛܠ ܐܘܣܝܐ ܕܒܥܢܘܬܗ ܘܡܛܠ
ܫܚܝܡܘܬܗ ܕܡܛܠ ܡܟܠܬܐ ܡܛܠ ܐܘܪܚܝܬܐ ܘܡܟܝܟܐ ܕܟܢܘܫܬܐ ܀
ܗܠܝܢ ܐܝܟ ܐܡܪ ܕܚܘܫܒܝܢܐ ܕܫܘܒܚܐ ܦܘܩܕܢܐ ܕܟܝܢܐ ܕܚܝܝܐ
ܕܫܘܝܢ ܠܟܠ ܡܬܚܘܝܢ ܡܬܚܫܒܢܐ ܕܡܛܠ ܠܟܠܗܝܢ . ܘܦܪܝܫܘܬܗ
ܕܠܘܬ ܐܠܗܐ . ܘܐܕܝܢ ܕܒܗܠܝܢ ܢܗܘܐ ܐܡܝܢܐ ܘܫܘܒܚܐ ܐܠܗܝ ܀

Id est : « Glorificatio Ecclesiae Christi vita est monastica. Quam ob rem decet monachum : ut ex omni parte « reluceant ejus virtutes per modestiam membrorum, per « vitae paupertatem, per eminentiam supra res visibiles, « per sedulam abnegationem, per contemptum carnis perfectum, per defatigationem in labore jejunii, per continuum silentium, per compositionem sensuum, per custodiam visus, per libertatem ab omni creatura, per brevitatem sermonis, per continentiam ab ira, per simplicitatem judicii ; ut notum sit quod superat hanc vitam « corruptam et dissipatam quaeritque veram ac spiritualem,

« ex interna conversatione, ex ignorantia rerum humana-
« rum, ex solutione a societate et conjunctione (1) homi-
« num, ex solitudine loci suae habitationis, ex prohibitione
« sui domicilii, ex paupertate et contemptu rerum, ex fuga
« hominum, ex constantia in oratione, ex despectu et aver-
« sione ab honoribus, ex indifferentia erga hanc vitam
« temporalem, ex altissima patientia, ex fortitudine in
« tentationibus, ex libertate ab auditione et indagatione
« rerum mundanarum, ex perpetua sollicitudine ac medita-
« tione verae patriae ; ut dignoscatur ex tristitia vultus et
« pallore faciei (2), ex planctu continuo per diem noctemque,
« et quam maxime ex custodia castitatis et continentia
« a gula (3), a minimis usque ad majora. Hae sunt quasi
« per compendium descriptae virtutes praeclarae monachi
« quae testantur perfectam ejus mortem a saeculo et acces-
« sum ad Deum. Decet itaque monachum in illis perpetuo
« meditari easque acquirere. »

§ IV.

DE OPERATIONE SPIRITUALI.

Duplicem operationem corporis et animae sequitur *operatio spiritus*. Quid hac voce intelligendum sibi semel definit Isaacus (4) :

ܕܥܒܪܐ ܕܪ̈ܘܚܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܦܘܠܚܢܐ ܕܠܐ ܦܓܪܐ : ܗܘ ܗܘ

(1) Forma ܚܒܪܐܝܠ in lexicis desideratur.

(2) ܡܫܚܪܘܬܐ : *pallor* seu potius ille color ex adustione generatus. Graecus vertit ἐῤῥικνώμενον, *decrepitus*. — Vox ܡܫܚܪܘܬܐ frustra in lexicis quaereres, nisi sit mendum pro ܡܫܚܪܢܘܬܐ

(3) ܝܥܢܘܬܐ, Graec. : γαστριμαργία. — Forsan melius esset claudere periodum post hoc verbum ; uterque codex Lond. nostram interpunctionem exhibet.

(4) Ad. msc. 14632, fol. 65*a*.

ܕܟܬܝܒ ܠܐܒܗ̈ܬܐ ܕܟܕ ܗ̈ܘܢܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ ܡܛܝܘ ܠܬܐܘܪܝܐ
ܕܩܢܘܡܗܘܢ . ܗܝܕܝܢ ܐܦ ܥܒܝܘܬܗ ܕܦܓܪܐ، ܡܫܬܩܠܐ
ܡܟܝܠ ܡܬܚܙܝܢܘܬܐ ܘܚܙܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ ܗܘܬ ܀

« *Operatio spiritualis est actio sine sensibus ; et haec est quae describitur a Patribus : ut scilicet, quando mentes sanctorum assequutae sunt contemplationem suae substantiae, e medio tollatur crassitudo corporis ac proinde visio fiat spiritualis* ».

Si tamen inter se conferantur varii sermones quibus loquitur auctor noster de operatione hac spirituali facile patet ipsum plures gradus seu plures operationes diversas sub ista communiori appellatione designasse recitatamque definitionem nonnisi perfectiori convenire. Quae autem ad operationem spiritus refert Isaacus in duplicem classem distribuere possumus, quae nempe spectant ad *contemplationem* et quae ad *revelationem*.

Contemplatio est duplex : una quae est in meditatione rerum divinarum ex consideratione temporalium in quibus relucent divinae perfectiones : altera sublimior (ܬܐܘܪܝܐ ܪܘܚܢܝܬܐ) quae fit per Spiritus Sancti dona et illustrationes quibus manifestantur et revelantur animae res divinae coelestiaque mysteria : « Duos enim habemus oculos animae, ut « aiunt Patres, sicut duos oculos corporis. Uno intuemur « gloriae Dei occulta in creaturis, alio contemplamur glo- « riam naturae ejus sanctissimae » (1).

Huic verae contemplationi respondet scientia vera (ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ)

Revelatio (ܓܠܝܢܐ), juxta Auctorem nostrum, est « silentium mentis » quo non intelligendus est status animae mere

(1) Lege textum integrum in sermone XLVI edito ad finem Dissertationis (Append. num. I). — Vides nostrum Auctorem apprime distinxisse quod recentiores nominibus contemplationis

passivus, sed potius omnes effectus supernaturales qui singulare et speciale Dei donum praeexigunt ; et ad sextuplicem speciem eos revocat Isaacus (1) :

ܡܬܐܡܪ̈ܢ ܫܬ ܓܠܝ̈ܢܐ ܗܠܟ̈ܐ ܕܡܬܝܗܒܢ ...... ܠܟܢܫܐ

ܫܬ ܐܢܫ̈ܐ ܕܓܠܝ̈ܢܐ ܐܡܪ ܟܬܒܐ . ܚܕ ܗܘ ܕܒܪ̈ܓܫܐ : ܘܕܬܪ̈ܝܢ

ܕܒܚܙܘܐ ܗܘܢܢܝܐ : ܘܕܬܠܬܐ ܒܚܛܘܦܝܐ ܕܗܘܢܐ :

ܘܕܐܪܒܥܐ ܒܡܘܗܒܬܐ ܕܢܒܝܘܬܐ : ܘܚܡܫܝܫܝܐ ܒܙܢܐ ܡܕܡ

ܡܬܣܬܟܠܢܐ : ܘܕܫܬܐ ܐܝܟ ܕܒܚܠܡܐ . ܘܗܠܝܢ ܡܢ ܕܒ̈ܢܝܢܫܐ

ܠܬܩ̈ܢ ܦܘܫ̈ܩܝܢ ܡܬܦܩ̈ܢ ܠܒ̈ܢܝܢܫܐ ܕܒܐܣܛܘܟܣܐ ܘܐܠܗܝܢ

ܕܒܟܠܝܢ ܗܘ̈ܐ ܗܘܝܢ ܀

Id est : « Sex autem modos revelationum indicat Scrip-
« tura ; primus fit per sensum, secundus per visum men-
« talem, tertius per raptum intellectus, quartus per
« donum prophetiae, quintus per modum alicujus intelligi-

acquisitae et infusae designant : « Praenotandum est, ait Benedictus XIV (*De serv. Dei beatif. et canon.* lib. III. cap. 26), duplicem a mysticis speciem contemplationis assignari, acquisitam videlicet et infusam..... Definitur contemplatio infusa et supernaturalis, seu potius describitur sequentibus verbis : simplex intellectualis intuitus cum sapida dilectione divinorum aliquorum revelatorum procedens a Deo speciali modo applicante intellectum ad intuendum et voluntatem ad intelligendum ea revelata, et concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, Intellectum et Sapientiam, cum magna illustratione intellectus ». — Aliquando etiam loco denominationum acquisitae et infusae dicunt activam et passivam, vel propria industria habitam et ex gratia habitam, vel naturalem et supernaturalem. — « Illa longa et difficilis, ait card. Bona, (*Via comp. in Deum*, cap. X), haec facilis, prompta, suavis. Illa ratiocinativa dicitur, ista experimentalis. Qui primam habent optime de ea ejusque regulis discurrunt, experientia destituti ; qui secundam, minus periti in sermone sunt sed in usu et experientia excellentissimi ». — Quod contigit nostro Isaaco.

(1) Cod. 14633, fol. 43*b*.

« bilis, sextus veluti per somnium. Et illae quae fiunt per « sensus in duas species dividuntur : in revelationes quae « per elementa et in revelationes quae sine materia fiunt. »

Singulas species non definit Auctor sed explicat mentem suam allatis exemplis (1).

Eum autem prosequi per omnes hujusmodi distinctiones longius esset et a nostro proposito alienum.

EPILOGUS.

Re quidem vera ut perfectior evadat nostra expositio theologici systematis Ninivitae adhuc nobis exponenda fuissent praecipua quae habet de virtutibus unicuique gradui propriis (2) et de vitiis defectibusque a monacho maxime alienis (3); de notis quibus homo verum sui statum spiritualem agnoscit; de tentationum speciebus, causis et utilitate; de fructibus quos in anima contemplatio producit : illuminationem, pacem, gaudium ceteraque hujusmodi; de signis quibus

(1) Exempla quae affert Auctor sunt : primi generis (per elementa) visiones rerum absconditarum aut remotarum, miracula et prodigia « quae, ait, quotidie accidunt in hoc universo » ; alterius speciei (sine elementis) sunt apparitio virorum Abrahae (Gen. XIX, 1 sqq) et scalae Jacobo (ibid. XXVII, 12), fulgor qui prostravit Paulum in via (Act. IX, 3). Secundi generis sunt visiones Cherubim et Seraphim (Is. VI, 2), rotarum et animalium Ezechielis (I, 4), bestiarum Petri (Act. XI, 11) ; tertii autem, raptus Pauli ad tertium coelum (II Cor. XII, 2) ; quarti vero, prophetia Balaam (Num. XXII) innumeraeque prophetarum praedictiones. Quintum modum probat ex verbis S. Pauli ad Colos. (I, 9) ; sextum denique explicat per somnia Abimelech (Gen. XX), Pharaonis (ibid. XLI), Nabuchodonozor (Dan. II, IV), Josephi (Gen. XXXVII). In hisce vero, fateor, non semper sibi constat Isaacus.

(2) Jam aliquid innui supra, ubi de gradibus scientiae loquutus sum. Praeclaras etiam habet exhortationes de humilitate et de misericordia seu eleemosyna, quas libenter hic retulissem si typographi diligentia permisisset.

(3) Inter autem monachorum defectus nullus est quem vehementius perstringat ac zelotypiam de qua fere in singulis sermonibus aliquid habet.

homo scit se ea dignum fore, quorum praecipuum ac fere unice certum in abundantia lacrymarum ponit Auctor ; de causis cur perfecta contemplatio huic datur, illi autem etiam sanctiori denegatur, inter quas primum obtinet locum sapientissima Dei providentia cujus oeconomia altis et menti imperviis dirigitur rationibus. Sed ut quae jam de hisce rebus exscribere coeperam typis exprimerentur temporis angustia non permisit.

Quae vero diximus abunde sufficiunt ut quisque schema quoddam ejus doctrinae asceticae ideamque ipsius scriptorum habeat. Hoc systema certe, in omnibus non est perfectum , plus tamen quam expectari posset a viro hujus aetatis, et si nec semper logicus in divisionibus nec clarus in expositione Auctor videatur et revera non sit, facile ei condonabit qui, praeter rationes a nobis supra indicatas, animadvertet plerosque auctores, qui plura post saecula scripserunt et maximo pretio habentur, haud raro nec magis logice nec clarius loquutos esse (1). Hoc utique sibi merito vindicare potest Isaacus Ninivita quod primus inter Syros theologiam asceticam non tantum empirico modo sed systematice, theoreticis rationibus cum factis quotidianae experientiae collatis, proponere conatus sit ; et inde fit ut ipsius opera etsi, ut jam monui, pro praxi hodiedum non tantae sint utilitatis tamen ad historiam asceticae theologiae plurimum conferre possunt hacque de causa, quae lucem adspiciant, haud indigna reputari debent.

(1) Vide, exempli gratia, quae disserunt de gradibus contemplationis. Gerson enumerat tres gradus (*Myst. theol. spec.*, consid. 35) ; Richardus a S. Vict. quatuor *(De quatuor grad. violent. charit.)* ; Philippus a ss. Trinit. sex (*Sum. theol. myst.* part. 3) ; S. Bonaventura, si ipsius sit opus, septem *(de septem grad. contempl.)* ac totidem S. Theresia *(Château intérieur,* capp. 1-5) ; S. Franciscus Sales. octo *(De amore Dei*, Lib. VI-VII) ; Scaramelli duodecim *(Diret. mist.* tr. 3) ; Alvarez quindecim (*De grad. contempl.* Lib. V) ; J. Lopez Ezquerra decem et septem *(Lucerna mystica*, lib. V) ; et alii aliter. Quid mirum si aliquando Isaacus noster obscurus est?

Huic autem nostrae elucubrationis posteriori parti finem imponere liceat hac oratione Isaaci, quae in officio liturgico Jacobitarum recitatur quamque describo ex codice Parisiensi sub num. 16 notato (1).

ܨܠܘܬܐ ܕܡܪܝ ܐܝܣܚܩ ܕܢܝܢܘܐ ÷ ܡܫܝܚܐ ܕܡܝܬܬ ܚܠܦܝܢ
ܒܚܘܒܟ . ܐܦ ܠܝ ܐܡܝܬܢܝ ܠܚܛܝܬܐ ܘܐܫܠܚܢܝ ܡܢܗ ܠܒܪܢܫܐ
ܥܬܝܩܐ ܕܒܚܘܕܬܐ ܕܚܝ̈ܐ ܐܣܩ ܩܕܡܝܟ ܒܟܠܙܒܢ ܐܝܟ
ܕܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ . ܠܗܘ ܕܫܡܝܐ ܘܫܡܝ̈ ܫܡܝܐ ܠܐ ܡܣܝܒܪܝܢ
ܠܗ . ܐܢܬ ܠܝ ܫܘܐ ܥܒܕܝܢܝ ܕܐܗܘܐ ܥܡܘܪܐ ܠܚܘܒܟ . ܗܘ ܕܒܪܓܫܬܗ
ܐܬܚܛܦܘ ܩܕܝ̈ܫܐ ܠܗܘܢ ܘܗܘܘ ܡܬܪܗܒܝܢ ܒܬܪܟ . ܘܐܡܝܢܐܝܬ ܥܡ
ܐܬܢܩܦܘ ܒܪܘܝܘܬܗ ܕܚܘܒܟ . ܘܠܐ ܬܘܒ ܗܦܟܘ ܠܒܣܬܪܗܘܢ
ܡܢ ܕܐܫܬܝܘ ܡܢ ܡܒܘܥܐ ܗܢܐ ܚܠܝܐ . ܘܡܛܠ ܕ
ܠܚܘܒܟ ܨܗܝܘ ܒܬܗܪܐ ܕܐܪ̈ܙܐ ܐܪܘܝܬ ܐܢܘܢ . ܠܟ ܫܘܒܚܐ ܘܬܘܕܝܬܐ
ܘܠܐܒܘܟ ܘܠܪܘܚܟ ܩܕܝܫܐ . ܐܡܝܢ ÷

Oratio Mar Isaaci :

« Christe qui mortuus es pro nobis in amore tuo, fac me « mori peccato et exue me homine veteri ut, in renova- « tione vitae, ascendam coram te omni tempore quasi in « saeculo novo. Deus, quem coelum et coeli coelorum non « continent, tu me fac dignum fieri habitaculum amoris « tui, cujus per sensationem rapti fuerunt sancti et postea « festinarunt post te, et perpetuo tecum conjuncti sunt in « ebrietate tuae charitatis, nec iterum reverterunt retror- « sum ex quo biberunt ex hoc dulci fonte, sed quia « sitiverunt amorem tuum admiratione mysteriorum ine- « briasti eos, tibi gloria lausque sit et Patri tuo et Spiritui « tuo Sancto. Amen. »

---

(1) Fol. 115. — Est autem tertia in codice. Duae praecedentes sunt quarum Bickell germanicam translationem dedit in saepius laudata *Einleintung*.

APPENDIX.

ISAACI NINIVITAE

SERMONES TRES

QUOS E CODICIBUS MUSAEI BRITANNICI DESCRIPSIT,

LATINITATE DONAVIT,

NOTIS THEOLOGICIS PHILOLOGICISQUE INSTRUXIT

ET, COLLATIONE AD GRAECAM VERSIONEM FACTA,

NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACIT

DISSERTATIONIS AUCTOR.

ܡܐܡܪ̈ܐ ܥܠܬܐ ܡܢ ܟܬܒ̈ܐ ܕܡܪܝ ܐܝܫܘܥ ܕܢܝܢܘܐ ܀

܀ ܐ ܀

ܥ̈ܠܠܐ ܡܥܒܪ̈ܢܝܬܐ ܘܡܫܪܝܢܐ ܡܥܠܪ̈ܢܐ ܡܠܟ̈ܐ ܫܒܡܠܬܐ ܕܪܘܚܐ ܀

(Mus. Brit. *add. msc.* 14633, f° 86*b*)

ܗܝܡܢܘܬܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܥܘܕܪܢܐ ܕܐܪ̈ܙܐ . ܗܘ̣ ܡܛܠ ܕܒܢ̈ܝܢܐ ܕܫܪܝܪܐ ܠܥܒ̈ܕܐ ܕܡܬܬܩܝܡܝܢ . ܗ̇ܝ ܕܝܢ ܗܝ ܗܝܡܢܘܬܐ ܒܫܪܪܐ ܒܫܡܐ ܠܥ̈ܠܡܐ ܕܗܘܢܐ . ܥܒ̈ܕܝܢ ܠܒ̈ܢܝܐ ܠܚܝܘ̈ܬܐ ܡܢܝܢܝܢ . ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܐܒ̈ܗܬܐ . ܐܝܟ ܥܒ̈ܕܝܢ ܒܢ̈ܝܐ ܕܫܪܪܐ . ܘܠܘ ܗܝ ܕܝܢ ܗܝ ܚܘܝܘܬܐ ܠܚܝ̈ܬܐ ܒܗܠܝܢ ܚܕܐ ܀ ܒܚܕܐ ܡܬܠܗܝܢ ܫܪܝܢ ܠܒܫܡܥܬܐ ܗܒܫܘܗ̇ ܕܠܗܐ ܕܒܥܢܝܢܐ ܕܡܬܡܪܐ . ܘܒܫܡܗ ܘܒܫܡܥܬܗ . ܘܥܒܕܝܬܗ ܡܬܘܡܝܬܐ ܕܥܠܡܝܢ . ܘܡܢ ܦܪܘܫܘܬܐ ܡܬܦܪܢܣܢܘܬܗ ܡܬܬܕܪܢܐ ܠܥܠܡ . ܘܥܠܗ ܡܢ ܒܗ ܐܦ ܠܬܝ̈ܡܢܐ ܪ̈ܘܚܢܐ ܒܥܠܡܝܢ ܀ ܘܥܠܘܗܝ ܚܕܐ ܫܪܝܢ . ܠܗܝܡܢܘܬܐ ܕܥܠܝܗ ܦܬܝܚܐ ܀ ܐܬܬܠܝܗ ܕܝܢ ܕܠܝܠܐ ܡܢܢ ܕܠܥܠܡ ܠܥܠ ܐܪ̈ܙܐ ܪ̈ܘܚܢܐ . ܡܢܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܦܬܚ ܒܪܥܝܢ ܀

Sermones tres e libro Mar Isaaci Ninivitae.

I.

Sermones proficui resque utiles quae omnia sapientia spirituali sunt repleta (1).

(Codd. Lond. add. 14633 f° 86*b* et 14632 f° 68*a*; codd. Vat. 124 f° 182*a* et 125 f° 64*a*; edit. graec. Lips. pag. 415; Migne, *Patr. Gr.* tom. LXXXVI, col. 874.)

Fides est ostium arcanorum. Quod sunt oculi corporis rebus sensibilibus, illud idem est fides thesauris absconditis oculis mentis. Duos oculos spirituales possidemus, ut aiunt Patres, sicut duos oculos corporis. Et non est quidem idem usus adspectus in utroque : uno enim eorum videmus absconditam gloriam Dei quae in naturis (creatis) latet, ejus virtutem, sapientiam dispensationemque aeternam super nos quae ex intellecta ejus gubernatione a nobis apprehenditur ; et etiam hoc oculo (videmus) ordines spirituales conservos nostros. Altero autem videmus gloriam naturae ipsius sanctae. Quando autem vult Deus nos introducere ad mysteria spiritualia mare fidei aperit in mente nostra.

(1) In graeco titulus est : Λόγοι ἀντιλεπτικοὶ καὶ ὑποθέσεις ὠφέλιμοι πεπληρωμέναι τῆς σόφιας τοῦ πνεύματος· καὶ περὶ μετανοίας.

ܐܝܬܘܬܐ ܕܠܐ ܐܝܬܘܬܐ . ܐܝܬܘܬܐ ܐܠܗܝܘܬܐ ܠܒܪܢܫܘܬܐ :
ܐܝܬܘܬܐ ܐܠܗܝܘܬܗ ܡܫܟܚܐ ܕܢܦܩ ܕܡܢ ܐܠܗܐ . ܗ̇ܘ ܡܛܠ
ܕܒܡܫܬܡܠܝܢܘܬܐ ܢܣܒܝܢ ܙܒܘܢܗ : ܒܬܝܒܘܬܐ ܢܣܒܝܢ
ܗܕܝܘܗ . ܐܝܬܘܬܐ ܐܠܗܝܘܬܗ ܐܝܬܝܐ ܕܩܢܘܡܐ : ܗ̇ܘ ܕܒܬܝܢ ܟܠ
ܕܟܠܗܝܢ ܠܗ . ܒܗ̇ ܗܢܐ ܐܝܬܝܐ ܕܐܬܠܝܕ ܠܘܬ ܩܢܘܡܐ ܐܠܗܝܐ .
ܒܟܠܗ ܡܢ ܡܟܝܠܬܐ ܗܘܐ ܠܗ ܠܡܫܡܫܘ ܠܩܢܘܡܐ . ܡܛܠ
ܕܒܠܗܘܢ ܣܓܝ . ܐܝܟ ܡܟܠܬ ܕܠܬܐ . ܘܡܬܝܕܥܝܢ ܒܫܡܝܘܬܐ
ܡܬܝܕܥ . ܕܗܘ ܗܘ ܐܝܬܘܬܐ ܐܝܬܘܬܐ[1] ܐܝܬܝܘܬܐ . ܡܫܬܟܚܐ
ܡܢ ܒܟܠܗ ܡܢ ܗܝܡܢܘܬܐ ܘܫܠܡܘܬܐ . ܕܫܠܡܐ ܕܡܢ ܐܠܗܘܬܗ
ܗܒܬܐ ܐܠܗܝܬܐ . ܕܡܬܝܗܒܐ ܠܢ ܒܝܕ ܠܟܠܢ ܕܫܠܝܡܘܬܐ ܘܫܦܝܪܐ
ܘܡܬܝܗܒܝܢ ܠܐܬܝܢ . ܗܒܬܐ ܠܢ ܘܗܕܒܐ . ܠܢ ܐܝܬܝܗ ܣܓܝܐ
ܠܐܠܗܐ[2] . ܕܐܝܬ ܒܗ ܫܪܝܪܘܬܐ ܕܒܠܗܘܢ ܬܒܥܐ . ܐܝܟܢܐ ܕܬܒܥܢܐ
ܦܘܠܘܣ ܐܬܬܪܥܝ ܫܡܝܢܝܬܐ ܕܠܐ ܒܝܬܐ . ܘܒܬܪ ܕܬܠܟ ܡܢ
ܐܝܠܝܢ ܥܝ̈ܢܐ ܕܢܦܫܢ . ܦܫܐ ܗܘܐ ܘܐܡܪ : ܕܥܝܢܐ ܠܐ ܚܙܬ .
ܘܐܕܢܐ ܠܐ ܫܡܥܬ . ܘܥܠ ܠܒܐ ܕܒܪܢܫܐ ܠܐ ܣܠܩ . ܡܕܡ
ܕܛܝܒ ܐܠܗܐ ܠܡܚܒܝܢܘܗܝ[3] . ܡܢ ܗܢܐ ܐܡܝܢܐ ܐܬܝܕܥ ܐܝܟ
ܒܡܫܡܠܝܘܬܗ ܕܐܬܡܠܝ . ܐܝܟ ܣܓܝ̈ܐ ܗܘܝܘ ܫܪܝܪܐ ܕܐܠܗܐ :
ܗ̇ܘ ܕܡܛܠܗ ܢܦܠ ܐܝܟ : ܘܐܘܒܘ ܠܐ ܦܓܥܬ ܒܗ ܚܙܘܐ .

Cod. 14632 : 1. Omit. — 2. ܕܐܠܗܐ — 3. Peschittha habet : ܠܐܝܠܝܢ
ܕܪܚܡܝܢ ܠܗ

Gratia quam maxima poenitentia data est hominibus (1). Poenitentia est regeneratio secunda ex Deo. Cujus in baptismo accepimus arrhabonem, hujus in poenitentia accipimus donum (2). Poenitentia est janua misericordiarum, quae est aperta omni quaerenti eam. Per hanc januam ingredimur ad misericordias divinas : sine autem ingressu isto impossibile est invenire misericordiam, *quia omnes peccaverunt*, juxta verbum Scripturae (3), *et justificantur per gratiam gratis* ; ipsa poenitentia est gratia secunda. Generatur quidem in corde ex fide et timore. Timor autem est baculum paternum quod nos ducit usque ad Eden spirituale. Quando vero illuc pervenimus, relinquit nos et discedit. Eden est amor divinus in quo est paradisus omnium bonorum ; ubi Beatus Paulus pastus est alimentis supernaturalibus, et cum gustasset ex arbore vitae quae illic est exclamabat et dicebat : *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quid praeparavit Deus diligentibus se* (4). Hac arbore privatus est Adam per consilium diaboli. Arbor vitae est ipse amor Dei a quo excidit Adam et amplius non occurrit ei gaudium

(1) Ad litter. *Gratia super gratia.* Ne credas hoc significare gratiam poenitentiae baptismi gratiae additam fuisse. Sensus est : poenitentia est maxima gratia. Hunc sensum probat usus biblicus Eccli. XXVI, 19 legitur in Vulgata : *Gratia super gratia mulier sancta et pudorata,* ubi LXX graec habent : Χάρις ἐπὶ χάριτι γυνὴ αἰσχυντηρά, quod syrus interpres reddidit : ܛܝܒܘܬܐ ܥܠ ܛܝܒܘܬܐ. Usus praepositionis ܥܠ ad indicandum superlativum non est insolitum apud nostrum Auctorem, sermone seq. reperies ܚܫܘܟܐ ܥܠ ܚܫܘܟܐ *tenebrae super tenebras*, id est : *tenebrae quasi maximae.*

(2) Ita graec. qui vertit ܡܘܗܒܬܐ χάρισμα.

(3) Rom. III, 23, 25.

(4) I Cor. II, 9.

ܐܠܐ ܒܐܘܪܚܐ ܕܩܘܫܬܐ ܦܠܚ ܗܘܐ ܘܡܫܬܡܠܐ[4] . ܐܝܟܢܐ ܕܐܡܪ
ܚܒܝܒܐ ܠܐܠܗܐ ܢܬܝܬܘܢ ܠܥܒܕܐ ܕܕܘܠܬܐ ܐܝܟܢܐ ܠܡܬܒܥܘ
ܒܡܟܠܝܢܘܗܝ : ܐܦ ܒܐܘܪܚܐ ܦܠܚܝܢ : ܗܘ ܕܐܬܟܬܒ ܥܠܘܗܝ
ܬܘܗܡܝܢ ܒܡܡܠܠܐ ܕܡܠܬܗ[5] . ܟܝܢܐ ܕܡܫܒܚܝܢ ܠܚܘܒܐ .
ܒܐܘܪܚܐ ܗܘ ܕܩܘܫܬܐ ܦܠܚܝܢ[6] ܘܡܬܕܪܟܝܢ ܒܩܘܫܬܐ ܙܕܝܩܝܢ[7]
ܒܚܕܝܘܬܐ : ܐܦ ܙܕܝܩܐ ܕܐܬܓܠܝܬ . ܘܒܡܠܟܘܬܗ ܕܐܠܗܐ ܕܥܠܡܐ ܡܛܠܬܗܘܢ :
ܘܡܠܟܐ ܐܦ ܢܛܪܘܢ . ܘܡܫܘܕܥܝܢ ܫܪܝܪܐ ܕܦܩܕ[8] . ܗܟܢܐ ܕܐܦ
ܕܐܡܪ[9] ܚܒܝܒܐ . ܠܚܘܒܐ ܡܫܝܚܝܐ ܐܝܟܢܐ . ܘܡܬܢܨܚܝܢ ܕܠܐ
ܠܡܠܟܐ ܘܕܠܐ ܠܐܘܪܚܐ . ܠܚܘܒܐ ܡܫܝܚܝܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܕܢܣܒ ܡܢ
ܡܫܝܚܐ ܘܝܗܒ ܚܝܐ ܠܟܠܢܫ . ܗܢܐ ܗܘ[10] ܦܘܪܩܢܐ ܕܡܠܟܘܬܐ .
ܐܝܢܐ ܕܚܘܒܐ ܐܝܟ ܠܡܫܝܚܐ ܐܦܠܐ ܒܡܟܠܝܢ ܗܘܐ ܠܐ
ܡܬܒܥܐ ܡܢ ܗܝܕܝܢ ܡܢ ܟܠ ܕܐܦܠܐ ܡܢ ܗܢܐ ܚܘܒܐ :
ܡܛܠ ܠܐ ܢܬܟܠ ܠܟܠܟ . ܢܦܩ ܠܒܢܝ ܕܐܦܠܐ ܡܢ ܚܘܒܐ
ܕܚܘܒܐ : ܕܗܘܝܘ ܝܗܒܠ . ܡܢ ܕܚܘܒܐ ܡܫܬܝܢܝܢ ܠܡܫܝܚܝܐ[11]
ܡܫܬܝܢܝܢ ܕܐܝܬܘܗܝ ܐܠܗܐ ܕܟܠ ܒܟܠ . ܘܫܘܪܗ ܝܗܒܝܢ
ܘܐܡܪ . ܚܒܝܒܐ ܗܘܝܘ ܐܠܗܐ. ܡܛܠ ܚܝܐ ܡܢ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪ :

Cod. 14632 : 4. ܗܘܐ ܡܫܬܡܠܝܢ — 5. ܡܠܬܗ ܡܫܒܚܝܢ ܕܠܐ perperam, ut videtur. — 6. ܦܠܚܝܢ ܗܢܘܢ — 7. ܙܕܝܩܝܢ ܗܢܘܢ ; et sic nullibi fit contractio pronominis ܗܢܘܢ cum participio. Hanc diversitatem scripturae amplius non adnotabimus. — 8. ܕܦܩܕ ܫܪܝܪ ܗܢܘܢ — 9 ܐܡܪܝܢ — 10. ܗܢܘ — 11. ܕܠܡܫܝܚܝܐ

sed in terra spinarum operabatur et affligebatur. Qui charitate divina spoliati sunt, etiamsi justitiam operentur, manducant adhuc in opere suo panem sudoris quem caput generis nostri jussus est manducare. Donec inveniamus charitatem, in terra spinarum operamur et inter spinas seminamus et metimus, etiam justitiam seminantes, et in omni momento ab eis pungimur, et quantumcumque justificemur tamen in sudore vultus nostri vivimus.

Ubi autem invenimus charitatem panem coelestem manducamus et nutrimur (1) sine labore et sine defatigatione. Panis coelestis est *ille qui descendit de coelo et dat vitam mundo* (2). Hic est cibus angelorum. Qui charitatem invenit Christum manducat in omni momento et fit immortalis ex inde : *qui manducat ex hoc pane mortem non gustabit in aeternum* (3). Beatus qui manducat panem charitatis qui est ipse Jesus. Qui charitate nutritur, nutritur Christo *qui est Deus super omnia* (4). Testatus est Johannes qui dixit : *Charitas est Deus* (5). Itaque vitam ex Deo

(1) Gr. vertit ܡܬܥܫܢܝܢ, ἐνδυναμούμεθα, *confortamur*.

(2) Joh. VI, 33.

(3) Joh. VI, 58. Peschittha habet : ܢܚܐ *vivet* in aeternum.

(4) Rom. IX, 5.

(5) I Joh. IV, 8. Peschittha : ܡܛܠ ܕܐܠܗܐ ܚܘܒܐ

ܡܢ ܕܒܝܫܬܐ ܣܓܝ ܒܚܪܝܬܐ ܗܘܐ . ܡܢ ܗܘ ܐܦ ܕܠܒܝܫܬܐ
ܫܪܝ ܗܪܟܐ ܗܢܐ : ܒܗܢܐ ܐܦ ܡܬܒܣܡܝܢ[12] ܕܝܘܡܐ ܒܥܝܢܝܬܐ .
ܚܒܝܒܐ ܗܘܝܘ ܡܬܚܫܒܢܘܬܐ . ܗܝ ܕܒܗ ܐܬܬܘܕܝ ܡܢܢ ܠܡܫܝܚܐ
ܐܪܬܐܝܬ : ܕܢܐܡܪܘܢ ܒܡܬܚܫܒܢܘܬܗ . ܠܐܡܪܘܢ ܠܟܠ ܘܠܡܬܘܢ ܒܗ
ܒܬܘܪܐ ܕܡܬܚܫܒܢܘܬܐ ܕܝܠܗ . ܡܛܠ ܕܐܡܪܝܢ ܐܠܐ ܐܢ ܚܒܝܒܐ . ܫܦܝܪ
ܗܘ ܚܒܝܒܐ ܕܒܬ ܡܬܚܫܒܢܐ ܘܡܬܚܫܒܢܘܬܐ ܡܬܥܪܦܐ ܠܐܢܫ : ܗܠܝܢ ܚܫܝܒܐ
ܡܫܝܐ ܠܟܠܗ ܕܒܪܢܫܐ . ܡܬܒܥܐ ܠܟܠܢ ܕܐܬܝܬ ܡܢ ܗܢܐ ܚܫܝܒܐ.
ܗܠܝܢ ܕܐܝܬܝܗ ܡܛܠܗ ܕܠܟܠܗܝܢ ܘܐܬܠܒܫܘ : ܘܚܫܟܐ ܘܡܬܠ
ܠܐܝܬܘܬܐ ܕܟܠܡܬܐ : ܘܐܪܥܐ ܘܫܡܝܐ ܘܡܢܬܐ ܕܚܝܐ : ܘܒܥܝܬܐ ܘܐܬܦܪܣܘ
ܠܡܬܚܫܒܢܘܬܐ : ܘܡܬܚܫܒܢܐ ܘܒܥܝܢܐ ܒܚܫܝܐ . ܘܒܦܪܨܘܦܐ ܘܗܘܝܘ
ܫܟܝܢܐ . ܘܗܕܝܪܘܬܐ ܘܐܬܚܫܒܘ ܀

ܐܝܟܢܐ ܕܠܝܬ ܠܡܬܚܫܒܢܐ ܠܡܚܫܒ ܪܒܐ ܕܠܐ ܡܬܚܫܒܐ ܘܠܒܐ .
ܗܟܢܐ ܠܐ ܐܢܫ ܢܫܢܐ ܒܠܒܗ ܡܢ ܕܫܠܡܐ ܠܒܗ ܚܒܝܒܐ . ܗܘ ܡܫܢܐ
ܫܪܝܐ ܕܚܫܟ ܒܗ ܠܝ ܘܡܬܚܫܒܢܐ ܡܬܚܫܒܢܐ . ܒܡܬܚܫܒܢܐ
ܕܡܬܚܫܒܢܘܬܐ ܠܡܬܚܫܒ ܠܗ ܕܐܝܬ ܠܗ ܠܐܠܗܐ[13] ܕܫܠܡܐ . ܐܢ ܠܟܠܐ
ܕܫܠܡܐ ܠܐ ܡܬܚܫܒܝܢ ܠܗܘܐ ܠܟܠܐ ܕܡܬܚܫܒܢܘܬܐ . ܗܘܐ ܕܒܗ ܠܡܬܚܫܒܝܢ
ܠܚܫܒܐ ܕܠܡܬܚܫܒܐ ܗܢܐ ܠܗ ܠܗܘܐ . ܡܬܚܫܒܢܝܢ ܒܚܫܒܐ ܫܪܝܐ .
ܡܬܚܫܒܢܘܬܐ ܐܝܬܝܗ ܠܟܠܐ . ܕܫܠܡܐ ܕܡܢ ܡܬܚܫܒܢܐ ܕܝܠܗ . ܘܚܫܒܐ
ܠܡܐܢܐ ܠܟܠܗܝܢ . ܡܬܚܫܒ ܠܝ ܕܫܠܡܐ ܒܐܠܗܐ ܕܡܬܚܫܒܢܘܬܐ .

Cod. 14632 : 12. ܡܬܒܣܡܝܢ — 13. ܠܟܠܐ ܠܗ

haurit qui charitate vivit in hoc mundo. Ille aerem resurrectionis hic respirat quo delectantur justi in resurrectione. Charitas est regnum illud in quo promisit Dominus Apostolis eos mystice comesuros : *manducabitis et bibetis super mensam regni mei* (1). Quid manducabunt nisi charitatem? Potis est charitas absque cibo et potu satiare hominem. Hoc est *vinum laetificans cor hominis* (2). Beatus qui bibit hoc vinum : illud biberunt luxuriosi et casti facti sunt ; peccatores et obliti sunt viarum offensionum ; ebriosi et facti sunt jejunatores ; divites et concupierunt paupertatem ; pauperes et ditati sunt spe ; debiles et facti sunt robusti ; idiotae et evaserunt sapientes.

Sicuti impossibile est transfretare mare magnum sine cercuro seu navi (3) : ita nemo transit absque timore ad amorem. Mare putridum positum inter nos et paradisum spiritualem in poenitentiae navi transimus, cui adsit gubernaculum timoris. Nisi enim gubernaculum timoris regat

(1) Luc. XXII, 30.

(2) Ps. CIV, 15.

(3) ܩܪܩܘܪܐ ܘܐܠܦܐ reddidit Graecus unico vocabulo πλοῖον quod potius ad ܐܠܦܐ referendum videtur, omissa voce ܩܪܩܘܪܐ . Extat tamen graece κέρκουρος (alias κέκυρος). Herod. VII, 99, etc. unde latinum verbum *cercurus*. Hanc vocem immerito derivare volunt aliqui (Aristoph. *Schol. ad Pac.* 142 ; Suidas, *Lex.* sub v. Ναζιουρής et post eum plures alii) a Corcyra (κερκύρα) insula ; nec meliori jure putat Forcellini *(Lexic. tot. lat.)* eam conflatam esse a κέρκος et οὐρὰ : quasi utrinque in caudam desineret. — *Cercurum* esse genus navis a Cypris inventum, ait Plinius (VII, 57, 17). Navis illa erat praegrandis (Nonius, 13, 4), aperta et vehendis oneribus comparata (Liv. 33, 19). Arabibus قُرْقُورَة est species navis onerariae longae aut magnae et aliquando immensae molis (Freyt. *Lex.* et Dozy, *supp.* II, p. 335). — Schoeffer *(de militia nav.* III, 2) putat hanc navem remis anteriori parte tantum munitam fuisse, ad modum illius navigii cujus figura depingitur in quodam numismate (apud Pauvin. *de lud. circ.* II, 11). — Cf. etiam Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq. gr. et rom.* sub h. v.

ܘܡܒܪܟܢܐ ܠܟ ܠܡܠܟܐ ܫܪܝܪܐ ܕܥܠܡܐ . ܘܡܫܒܚܢܐ ܠܟ ܠܥܠܡܥܠܡܝܢ
ܠܟܘܢ ܕܗܘܘ ܣܓܕܐ . ܐܡܪܐ ܕܢܦܪܘܩ ܒܟܠܗܘܢ ܐܢ̈ܫܐ ܚܛ̈ܝܐ
ܒܬܫܒܘܚܬܐ. ܡܛܐ ܕܝܢ ܕܡܬܒܥܝܢ ܠܚܘܒܐ ܡܬܒܥܝܢ ܠܘܬ ܠܟܘܢ܇
ܘܫܡܫܬ ܐܘܪܚܢ . ܘܒܪܝܢ ܠܢܘܗܪܐ ܕܠܗܘܢ ܡܢ ܥܠܡܐ܇
ܐܡܪܐ ܕܐܫܬܘܘܢ ܐܦܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ . ܕܠܗ ܫܘܒܚܐ
ܘܐܘܚܕܢܐ ܘܠܝ ܠܫܡܐ ܠܢܨܚܢܘܬܗ ܘܠܫܘܒܚܗ . ܐܡܝܢ܀

܀ ܒ ◆

ܡܥ̈ܢܝܬܐ ܡܫܚ̈ܠܦܬܐ ܫܘܪ̈ܝܐ ܀

(*Add. msc.* 14632, f° 71*a*.)

ܠܫܬ ܐܘܒܐ ܓܒܐ ܕܠܗ ܡܢ ܡܠܘܗܒܬܐ ܕܡܢ ܠܥܠܡ ܢܦܠ
ܒܠܒܐ : ܘܠܫܬ ܚܘܫܒܐ ܒܫܡܐ ܕܠܗ ܐܫܝ ܕܒܫܡܝܐ ܡܬܩܪܒ
ܠܢܦܫܐ ܀

ܒܪܝܬܐ ܕܡܠܟܐ ܠܫܠܝܚܬܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܗ : ܡܠܟܐ ܘܦܠܚܐ ܠܫܒܐ
ܕܡܠܒܫܘܬܐ ܀

ܗܕܝܐ ܕܟܫܘܒܘܬܗ ܕܠܗܐ ܠܘܬ ܒܪܝܬܐ . ܠܒܐ ܕܡܬܬܐܡܪ
ܒܩܘܒܠ ܟܫܘܒܬܐ ܐܡܝܢܐ : ܗܕܝܐ ܕܢܫܝܢܐ ܡܢܟ ܢܦܫܐ܇
ܐܘܒܐ ܕܪܟܝܢܐ ܕܐܡܝܢ ܕܠܐ ܒܠܒܐ܀
ܠܒܟ ܡܫܬܒܚܬܗ ܕܒܪܝܬܐ ܟܠܝܢ ܠܗܐ : ܠܒܪܝܬܐ ܕܝܢ

navim poenitentiae in qua transfretamus mare hujus mundi ad Deum; immergemur in pelago foetido. Poenitentia est navis, timor autem nauta ejus, charitas vero portus divinus. Timor nos ascendere navim poenitentiae transireque mare putridum saeculi facit et adducit ad portum divinum qui est charitas : ubi spectant omnes qui laborant et affliguntur in poenitentia. Quando autem pervenimus ad charitatem, ad Deum pervenimus. Absoluta est via nostra et transimus ad insulam quae est ultra mundum : ubi est Pater et Filius et Spiritus Sanctus : cui gloria et imperium : nos autem dignos faciat sui timoris et amoris. Amen.

II.

Consilia utilitate plena (1).

—

(Codd. Lond. 14632, f° 71*a* et 14633, f° 88*b*; codd. Vat. 124, f° 184*b* et 125, f° 67*b* ; edit. graec. Lips. pag. 419 ; Migne, *Patr. gr.* tom. LXXVI, col. 878).

Non est motus (2) bonus nisi ex dono quod desursum cadit in cor : nec est cogitatio mala nisi per modum tentationis accedat animae.

Homo qui pervenit ad cognitionem infirmitatis suae pervenit ad terminum humilitatis.

Ductor gratiae Dei ad hominem (est) cor occupatum in perpetua gratiarum actione : ductor tentationis ad animam motus (est) mussitationis qui cor perpetuo agitat.

Omnes infirmitates hominis sustinet Deus : hominem

(1) Titulus in graeco : *Συμβουλίαι πεπληρωμέναι ὠφελείας· ἃς ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐλάλησε τοῖς ἐν ταπεινώσει ἀκούουσιν αὐτοῦ.*

(2) ܙܘܥܐ, quod in genere motum significat tum corporalem tum mentalem, ubique in hoc sermone graecus interpres vertit *ἔννοια*. — Auctor videtur intelligere motum bonum ad salutem, motum salutarem.

ܘܐܡܪܝܢ ܡܠܦܢܝܢ ܠܐ ܡܫܡܫܝܢ ܕܠܐ ܙܘܓܐ ܠܗܘ ܀ ܠܢܫܐ ܕܢܣܝܒܐ ܡܢ ܒܬܪܗ ܗܕܐ ܕܐܝܬܝܗ ܒܗܠܝܢ ܐܘܪ̈ܚܐ ܡܫܬܘܕܥܐ ܀

ܒܦܘܡܐ ܕܐܡܪܝܢ ܡܠܦܢܐ ܒܐܘܪܚܬܐ ܡܦܩܕܢܐܝܬ ܡܢ ܐܠܗܐ : ܘܡܠܟܐ ܘܐܡܪܝܢ ܒܦܩܕܢܐܝܬ ܠܡܥܒܕܘܬܐ ܫܦܝܪܐ ܒܗ ܗܘ ܠܡܥܒܕܘܬܐ ܀

ܐܝܟ ܠܡܥܒܕܘܬܐ ܡܦܩܕܢܐ ܪܗܛܝܢ : ܘܐܝܟ ܡܠܦܢܘܬܐ ܪܗܛܐ ܡܫܬܒܪܢܘܬܐ ܀

ܐܢܐ ܕܡܠܬܐ ܐܝܟܢܐ ܡܬܬܪܥܝܬ ܒܬܪܬܝܢܘܬܗ . ܒܝܘܕܥܐ ܡܬܢܨܚܐ : ܘܐܢܐ ܕܒܡܬܬܪܥܢܘܬܐ ܕܦܘܠܚܢܐ ܒܛܥܝܢܘܬܐ ܡܬܡܠܟܐ : ܘܕܒܫܒܩܬܐ ܡܬܬܚܝܠ ܒܗܝܢ ܦܫܐ ܠܦ̈ܠܚܐ ܡܬܪܕܐ ܀

ܒܢܝܢܐ ܕܢܣܝܒܝܢ ܡܢ ܡܠܬܗ ܕܒܪܢܫܐ ܕܐܠܗܐ . ܗܘ ܕܐܝܠܝܢ ܒܠܒܗ ܡܢܝܢܐܝܬ ܕܒܟܠ ܩܢܝܢܗ ܒܩܝܡܘܬܐ ܠܗܘܢܐ ܀

ܐܢܐ ܕܡܦܩܢ ܠܟܠ ܒܢܝܢ ܒܠܒܗܘܢܐ ܕܐܠܗܐ . ܡܦܩܢܢ ܡܠܟܝܪܐ ܠܟܠ ܒܢܝܢ ܒܢܡܘܣܐ ܒܫܡܐ ܕܐܠܗܐ ܀

ܘܢܦܩܢ ܪܘܚܐ ܠܟܠ ܠܫܡܥܐ[1] ܡܦܩܢܢ ܫܘܠܛܢܐ ܠܒܪܢܫܗ : ܘܡܢܗܘܢ ܕܪܒܗ ܠܒܢܝܢܐ ܡܢܝܢܗ ܕܪܒܗ ܕܐܠܗܐ ܢܦܩܢ ܫܠܡܘܗܝ ܀

ܘܡܬܦܬܓܡܝܢ ܐܚܝܕܝܢ ܠܟܠ ܒܢܝܬܗ . ܡܦܩܢܢ ܐܠܗܐ ܦܬܓܡܘܗܝ ܀

ܘܡܬܪܝ ܐܚܝܕܝܢ ܒܬܘ̈ܢܐ . ܡܢܐ ܒܫܡܝܬܗ : ܘܕܡܬܦܬܓܡܝܢ ܠܗ ܒܒܢܝܬܐ . ܡܫܬܡܥܝܢ ܫܒܝܪܬܗ ܀

Cod. 14633 : 1. ܠܫܡܥܐ rectius ut videtur.

vero qui constanter murmurat non tolerat quin castiget eum. — Anima destituta omni illuminatione scientiae in istis cogitationibus invenitur.

Os quod perpetuo gratias agit benedictionem accipit a Deo, et cordi perseveranti in gratiarum actione insedit gratia.

Ante gratiam praecurrit humiliatio : et ante correptionem praecedit arrogans sui existimatio (1).

Qui propter scientiam extollit se in conscientia sua in blasphemiam incidit (2) : qui autem in excellentia operum se extollit in fornicationem cadit : qui vero in sapientia exaltatur inter laqueos (3) caliginosos perturbatur.

Homo est ab omni recordatione Dei alienus qui in corde suo gerit sollicitudinem proximi in recordatione malitiosa.

Qui Dei memor quemlibet hominem honorat secreto Dei consilio adjutorem invenit quemlibet hominem.

Qui defendit calumniatum (4) invenit Creatorem sui patronum : qui praebet brachium in auxilium proximi, brachium Dei pro se recipit.

Qui accusat fratrem propter scelera ejus inveniet Deum accusatorem sui.

Qui corrigit fratrem suum privatim sanat malum ejus : qui accusat eum publice (5) ejus ulcera aggravat.

(1) ܡܣܒܪܢܘܬܐ, recte graecus : *οἴησις*.

(2) Ad lit. : blasphemia tentatur.

(3) Exponit graecus : *ἐν ταῖς σκοτειναῖς παγίσι ἀγνοίας*.

(4) Lectionem ܠܥܫܝܩܐ prae oculis habuit gr. qui vertit : *ὁ ἀπολογούμενος ὑπὲρ τοῦ ἀδικουμένου*; et haec lectio contextui melius quidem consonat. Sed etiam forsitan admitti posset ܠܥܫܘܩܐ ; praepositio enim ܥܠ haud raro significat *adversus*, praesertim in locutione ܩܡ ܥܠ : quo casu vertendum foret « *qui redarguit calumniatorem.* »

(5) ܒܬܘ̈ܢܐ ... ܒܟܢܘܫܝܐ; *privatim...publice*, ad. litt. : *in cubiculis* et *in congregatione* ; reddit gr. *ἐν τῷ ταμείῳ ... ἐν ἀθροίσματι.*

ܘܡܛܠܬܐ ܠܐ ܫܡܥܘܗܝ ܒܫܠܝܘܬ. ܠܐ ܠܡܥܢܝܐ ܕܫܡܥܘܗ ܡܠܒܝܢ.

ܘܡܬܒܪܬܐ ܠܗ ܠܠܒܢ ܚܒܪܘܗܝ ܚܝܠܐ ܕܫܡܥܬܗ ܐܘܕܝ܀

ܦܫܝܩܐ ܕܒܬܫܒܚܬܐ ܡܠܒܫ. ܐܝܟܐ ܗܘ ܚܒܝܒܐ ܗܘ ܟܝܢܐ. ܘܒܠܠܒܢ

ܗܝ̈ܠܢܐ ܡܛܠܬܐ. ܡܒܪܝܟܐ ܗܘ ܒܦܪܘܐ܀

ܐܦ ܕܡܬܚܫܒܢܘܬܐ ܚܘܒܢܐ ܕܒܠ ܫܘܪܝܢ: ܘܐܦ ܕܒܝܬܘܦ

ܦܪܢܝܬܐ ܚܘܫܒܐ ܕܡܠ̈ܐ ܕܐܪ̈ܘܗܝ ܘܡܫܒܚܢܐ܀

ܐܝܢܐ ܕܐܝܟ ܕܠܐܫܡܥܬܐ ܡܦܪܫ ܡܪܕܘܬܐ ܒܚܘܒܐ ܘܙܐ.

ܘܒܠܘܥܬܐ[2] ܫܡܝܐ ܦܒܠܬܗ. ܫܒܝܩ ܗܘ ܡܢ ܚܘܒܐ܀

ܠܠܗܐ ܙܐ ܒܚܘܒܐ. ܘܠܗ ܐܝܟ ܕܒܠܘܥܬܐ ܚܙܝ. ܡܬܠܝܠ

ܕܠܐܬܐ[3] ܠܟܠܗ ܒܪܐ ܘܠܐ ܢܬܠܦ ܦܘܪܫܐ ܠܒܝܬܐ ܡܢܪܝܚ ܡܢ

ܦܘܪܐ ܡܬܠܝܠ ܕܠܗ ܠܥܠܡܐ ܕܢܬܒܗ ܦܒܠ. ܗܘ ܠܢܦܫܗ

ܕܚܘܒܐ. ܘܡܪܕܘܬܐ ܕܚܘܒܐ ܡܬܠܝܠ ܦܘܪܐ ܗܘ. ܘܠܡܦܘܪܢܐ ܠܐ

ܡܫܝܢܐ ܒܢܝܢܐ. ܝܕܥܐ ܕܚܝܡܐ ܠܐܠܗܐ ܕܡܪܐ. ܠܐ ܙܐ ܫܝ

ܠܒܪܢܝܐ ܡܬܠܝܠ ܕܢܬܦܠ ܫܒܠܘܬܗ. ܐܠܐ ܕܐܘ ܗܘ ܢܬܦܪܘ ܐܘ

ܘܐܚܪܢܐ ܢܫܬܦܪܘܢ. ܘܡܫܚܠܦܢܐ ܝܗܒ ܡܢ ܗܘܐ ܠܟܠܗ ܡܢܪܘܬܐ.

ܗܘܕܐ ܐܝܟ ܕܒܦܪܘܟܢܐ ܙܐ ܒܗ ܦܘܫܢܐ. ܦܪܝܫܬܐ ܕܐܝܬ ܠܗ

ܠܐܠܗܐ ܡܬܘܠܝܬ܀

ܐܝܢܐ ܕܠܐܠܗܐ ܐܝܟ ܒܪܘܟܐ ܠܟܠܗܘܢ[4] ܦܪܐ ܕܢܦܪܐ. ܒܢ

ܠܒܢܝܬܐ ܦܪܐ[5] ܘܡܫܡܥ ܒܠܐ ܦܘܫܬܐ ܡܬܦܠܦܠܝܢ ܠܗ. ܚܙܝ.

Cod. 14633 : 2. ܘܒܠܘܥܬܐ — 3. ܕܢܬܠܬܐ — 4. Omit. — 5. ܦܒܪ

Qui medetur fratri suo clanculo magnitudinem suae charitatis patefacit : qui detrahit (1) ei coram sociis vim suae invidiae ostendit.

Amicus qui in abscondito reprehendit medicus est sapiens: qui autem coram multis corripit vere subsannator est.

Signum compassionis est dimissio (2) omnis delicti : signum vero pravitatis animi altercatio (3) cum offensore.

Qui ad sanationem adhibet correctionem in amore reprehendit : qui autem ad vindictam poenas infert (4) vacuus est charitate.

Deus corripit amore et non per vindictam, absit ! Imaginem suam sanare quaerit et non servat iram in tempus quo correctio impossibilis est, quia vindictam sui ipsius non quaerit (5).

Hoc est signum charitatis : correctio amoris fit propter emendationem et ad vindictam non respicit in proposito. Justus qui sapiens est Deum imitatur : nequaquam corripit hominem ut vindicet culpam, sed vel ut iste emendetur, vel ut alii timeant. Quod ab hoc recedit non est correctio. Et hoc in mente quae Deo est semper velut in imagine depingit spiritus.

Qui Deum tanquam ultorem vult considerare, dum ejus justitiam stabilire conatur eum immisericordiae accusat.

(1) ܕܡܚܣܕܗ̇, gr. reddit : *ὁ καταισχύνων*, *qui dehonestat*.

(2) ܡܪܚܡܢܘܬܐ, gr. *συμπάθεια*. — ܫܘܒܩܢܐ, gr. *συγχώρησις*.

(3) ܡܫܩܠܬܐ ܕܡ̈ܠܐ, *altercatio*, vertit gr. *ἀντιλογία*. — Est ad litteram nostra loquutio gallica : *un échange de paroles*.

(4) ܡܥܩܒ ܠܬܒܥܬܐ. Hanc loquutionem quam verto *poenas infert*, graecus omittit. Sensus est : qui libenter incumbit diligenti indagationi culparum puniendarum.

(5) Haec ultima loquutio in graeco omissa est.

ܠܗ . ܢܦܫ ܠܗ . ܠܡܫܡܫܘ ܠܫܘܒܚܐ ܘܡܣܟܢܐ ܘܡܠܐ ܛܘܒܬܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ
ܡܒܣܡܐ ܒܗ . ܢܦܫܐ ܕܐܬܪܥܝܬܗ ܠܬܘܪܓܐ ܒܬܪܝܢ ܐܢܫܐ ܚܢܐ[6] .
ܘܟܠܗ ܠܐ ܕܢܬܠܟܠܣ ܐܡܝܢ ܫܪܪܬܐ . ܘܟܡܐ ܐܦܠܐ ܒܚܕܬܐ ܡܬܐܡܪܐ
ܗܘܐ ܗܠܝܢ[7] . ܠܡܫܡܫܢܐ ܕܫܪܪܬܐ ܒܡܢ ܦܘܠܚܢܝܗܝܢ ܣܓܝܐܐ
ܕܥܠܝܗܘܢ ܐܦ̈ܐ ܡܫܚܠܦܐ ܠܡܬܟܠܟܠܢܘܬܐ . ܘܐܦ ܗܘܐ ܠܒܪܘܢ
ܡܛܠܬܗ ܢܫܝܘܢ . ܘܠܐ ܐܝܟ ܕܒܝܫܘܬܗ ܕܐܒ̈ܐ ܕܠܡܦܐ . ܐܠܐ ܐܝܟ
ܕܒܢܘ̈ܐ ܕܠܒܝܫܝܢ . ܘܒܝ ܕܡܛܠܗ ܗܘ ܒܠܡܛܝܠ ܠܐ ܪܫܡ ܕܢܣܡܘܢ
ܘܡܛܠܗ ܐܠܐ ܐܝܟ[8] ܕܒܝܫܝ ܢܬܒܣܡ : ܠܡܘܢ ܡܛܠܬܗ ܕܒܢܝܢܐ
ܟܠܐ ܟܠܗܘܢ ܡܬܢܗܪ . ܘܡܠܟܘܬ ܕܢܬܠܐ ܠܗ ܚܝܠܗ ܠܡܐܬܝܬܐ
ܢܒܥܐ ܡܬܦܪܢ .

ܐܝܢܐ ܕܡܟܝܠ ܒܘܪܟܢܐ ܕܠܗܘܢ ܡܬܝܬܪ ܒܣܘܓܐܐ ܕܟܠܗ
ܗܘ ܫܠܝܡ ܠܡܫܠܡܢܐ .

ܐܝܢܐ ܕܣܓܝܐ ܕܒܝܬܗ ܐܢܫ ܕܢܫܪܘܪ[9] ܒܣܝܡܬܐ ܕܣܒܪܐ ܕܐܝܟ
ܠܗ ܠܐܠܗܐ[10] . ܗܢܐ ܐܦ ܒܫܪܗ ܢܬܒܣܡ . ܠܐ ܒܪܢܫܗ
ܡܬܬܪܝܨ . ܘܠܐ ܡܢ ܡܬܬܪܝܨܘܬܐ ܡܬܬܝܒܢܐ[11] .

ܐܝܢܐ ܕܒܣܘܟܠܐ ܕܐܝܟ ܠܗ ܠܐܠܗܐ ܠܟܠܗܝ ܡܬܢܗܪ ܪܥܝܢܗ .
ܗܢܐ ܠܟܠܡܝܐ ܕܡܟܠܐ ܢܦܫ ܒܫܪܗ[12] ܘܒܪܥܝܢܗ[13] .

ܡܛܠ ܕܢܬܦܪܣ ܒܪܢܫܐ ܠܗ ܡܢܘܬܐ ܡܬܝܕܥܐ ܘܡܬܦܫܬܐ

Cod. 14633 : 6. ܚܢܐ ܗܘ ܬܘܪܓܐ — 7. ܡܬܐܡܪܐ ܠܝ . — 8. ܕܐܝܟ — 9. ܕܝܠܗ ܡܬܢܗܪ ܠܗ — 10. ܠܟܠܗ ܐܠܗܐ — 11. ܬܝܒܢܐ — 12, 13. Omit.

Absit ! absit huic fonti amoris et mari bonitatis ut vindex reperiatur ; scopus enim quem intendit emendationem hominum respicit.

Num, ut honor libertatis non minuatur, nonnisi increpatione sanat eos ? Determinatio liberi arbitrii nostris actibus vim confidendi praestat rationi. Haec igitur adoret magnitudinem bonitatis illius, qui non vult ut laetemur tanquam de suo sed tanquam de meritis nostrorum actuum, qui quamvis ipsius sint omnia non amat ut cogitemus ipsius esse, sed ut tanquam de nostris laetemur. Homo pro ratione suae bonitatis de Deo illuminatur ; et prout in cognitione ejus extollitur, ad animae libertatem accedit (1).

Qui ob (metum) futurae vindictae (2) proficit in virtutibus valde facile mutatur.

Qui virtutem scientiae potuit conjungere per contemplationem amoris Dei : ille, etsi caro ejus dissecta fuerit, nec mente se extollit, nec a virtute declinat.

Cujus mens per retributionem Dei erga nos illuminatur : iste ad profundum humilitatis descendit corpore et anima.

Antequam accedat homo ad scientiam in conversatione sua extollitur et deprimitur (3) :

(1) Graecus omittit totam periodum inde a : *Qui Deum* etc. Manifeste ob difficultatem.

(2) ܦܘܪܥܢܐ. Gr. πρὸς τὴν ἐπάζιον τοῦ θεοῦ ἀμοιβήν.

(3) ܡܣܩܬܐ ܘܡܚܬܬܐ : ascendit et descendit. Gr. periodum mutilat et haec verba omittit. — Gallice diceremus : *il y a des hauts et des bas dans sa conduite.*

ܒܘܩܪܗ . ܡܢܐ ܕܝܢ ܕܐܬܩܪܒܘ ܠܘܬܗ[14] ܡܫܝܚܐ . ܒܗ ܡܬܕܥܢܘܬܐ
ܡܬܕܥܢܐ ܘܟܠ ܒܥܕܢ ܕܡܬܕܥܢܐ ܠܐ ܡܬܟܠܝܐ ܠܫܘܒܚܗ ܕܡܫܝܚܐ ◆

ܡܛܠ ܕܐܬܐ ܗܘ ܠܟܠܥܠܡܐ ܕܠܡܫܡܠܝܘܬܐ ܘܢܫܬܡܥ ܥܠܝܗ
ܕܠܘܬܗ . ܒܥܠܡܐ ܓܝܪ ܠܐ ܐܬܚܙܝ ܒܪܢܫܐ ܒܡܘܪܒܝܐ[15] ܕܠܘܬ ܐܠܗܐ .
ܡܐܬܐ ܗܘ ܐܬܐ ܒܬܪܗ . ܐܦ[16] ܒܟܠܡܐ ܕܝܢ ܕܚܙܐ ܐܦܝܗ ܗܘ[17]
ܡܫܝܚܐ ܠܗ . ܘܠܐ[18] ܗܘܐ ܢܬܠܘܢܗ[19] ܀

ܒܥܠܡܐ ܓܝܪ ܠܐ ܐܬܚܙܝܘ ܕܐܦܩܝܢ ܒܚܝܘܬܗܘܢ . ܘܐܢܫܐ ܗܘ ܕܚܝܝܢ
ܟܠܗ[20] ܐܝܟ ܕܒܥܠܡܐ ܕܡܫܬܥܐ ܒܗ ܡܫܝܚܘܬܐ : ܟܠܡܐ ܕܝܢ ܕܐܝܬܘܗܝ
ܕܚܙܐ ܫܘܝܢ ܀

ܢܘܪܐ ܕܒܥܝܢܐ ܡܦܩܢܐ ܐܝܬܐ . ܠܫܘܬܦܘܬ ܕܟܠܐ . ܘܪܥܝܐ
ܕܒܐܠܗܐ ܕܒܟܠܐ ܕܦܫܘܩ ܡܢ ܟܠܡܐ ܢܦܠ . ܢܒܪܬܗ ܠܐ
ܡܬܒܕܠܬܐ ܗܝ ܘܫܪܝܐ ܐܝܟ[21] ܢܘܪܐ ܀

ܫܡܝܐ ܡܢܐ ܕܟܠ ܫܘܠܛܢܗ ܒܡܫܪܝܢܐ[22] . ܢܟܪܐ ܗܘܢܐ ܫܬܠܬܠܐ
ܕܒܟܠܡܐ : ܘܒܥܘܗܕܢܐ ܕܐܠܗܐ ܡܢܐ ܕܐܝܟ ܢܦܫܐ ܒܢܒܝܐ . ܟܠܗܐ
ܘܒܪܢܐ ܕܡܬܚܫܒܢܐ ܡܢ ܟܠܐ ܀

ܪܒܢܐ ܕܐܝܟܢ ܚܝܡܬܐ ܕܪܘܚܐ . ܐܝܟ ܐܢܬ ܕܐܝܟܢ ܠܟܠܐ
ܡܬܝܩܢܐ ܒܝܘ ܡܫܐ . ܘܡܢܐ ܕܝܬܒ ܒܗ . ܡܟܒܪܐ ܠܗ

Cod. 14633 : 14. ܥܝܢ — 15. Omit. — 16. Omit. — 17. Omit. — 18. ܠܐ — 19. ܐܬܠܘܢܗ . — 20. ܐܝܟ ܐܠ ܗܘ ܕܚܝܘܢܗ . — 21. ܐܦ ܡܢ — 22. ܒܡܫܪܝܬܐ

ubi autem accessit ad scientiam semper extollitur et quantumcumque extollatur nunquam pervenit ad fastigium scientiae.

Antequam veniat saeculum gloriae et expectatas ejus divitias sumat (1) homo quantumcumque proficiat in accessu ad Deum, semper a retro sequitur eum ; sed etiam in mundo veritatis, faciem ostendit ei Deus non autem suam essentiam.

Quantumvis penetrent justi in contemplatione ejus, figura est quod vident hic, quasi imago quae adspicitur in speculo : illic autem manifestationem veritatis contemplantur.

Ignis qui in lignis siccis accenditur difficile extinguitur : et ardoris divini (2), qui in cor a saeculo elongatum cadit, flamma inextinguibilis est et etiam igne ferventior (3).

Quando virtus vini penetrat artus perdit mens exactam rerum notionem : et recordatio Dei quando serpit in anima delet a corde memoriam visibilium.

Mens quae invenit sapientiam Spiritus est sicut homo qui invenit in medio maris paratam navim ; ubi sedet in ea eum transvehit per mare hujus saeculi, appellitque eum

(1) Haec verba jungit versio graeca praecedenti periodo : uterque codex Lond. hanc quam refert noster textus punctuationem habet.

(2) I. e. quo quis in Deum fertur.

(3) Ita graecus qui cum cod. 14633 convenit : τοῦ πυρὸς δριμυτέρα.

ܡܢܝ [23] ܗܫܐ ܕܫܘܠܛܢܐ ܗܢܐ ܘܡܫܬܠܛܢܘܬܐ ܠܗ [24] ܠܘܬ ܐܚܪܢܐ ܕܫܘܠܛܢܐ
ܕܠܥܠܡ : ܗܟܢܐ ܐܦ ܐܬܝܗܒܬ ܡܬܓܠܝܢܘܬܐ ܕܐܠܗܘܬܐ ܒܫܘܠܛܢܐ
ܗܢܐ . ܐܝܟ ܕܐܡܪܬ ܠܟܘܢ ܒܪܡ ܫܠܡܐ . ܘܐܢܫܝܢ ܕܠܘܬܗ ܐܬܩܪܒܘ
ܠܐ ܐܝܟ ܡܬܢܩܦܝܢ ܒܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܗܘܝܢ ܒܗܢܐ ܀

ܐܝܟܢܐ ܗܘ ܕܡܫܡܠܝܢ ܒܗܘܢ ܠܫܠܡܘܬܗ ܡܫܡܠܝܐ ܡܫܬܪܗܒܝܢ
ܠܫܠܡܐ [25] : ܘܐܢܫܝܢ ܗܢܐ ܕܫܠܝܡܐ ܒܫܡ ܗܘܐ ܕܒܫܠܡܘܬܗ .
ܡܫܠܡ ܕܢܦܘܩ ܡܢ ܥܠܡܐ . ܗܢܐ ܕܐܬܝܗܒ ܒܫܠܡܘܬܗ ܕܐܒܘܗܝ ܘܐܘܪܚܗ
ܘܢܫܒ ܕܩܘܪܒܗ ܡܬܢܩܦܝܢ ܠܫܘܠܛܢܐ ܕܐܠܗܘܬܐ ܀

ܐܝܟܢܐ ܒܫܠܡܐ ܕܒܫܠܡܐ ܗܘ . ܐܦܫܐ ܫܡܐ ܠܗ ܗܘܝܬܗ . ܕܝܢ
ܕܢܦܩܘܢ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܢܫܬܘܫܛܘܢ ܫܒܪܐ ܕܫܠܡܗ : ܘܐܢܫܝܢ ܒܫܠܡܐ
ܕܒܫܘܠܛܢܐ ܗܘ . ܘܢܬܦܫ ܐܢܫ ܠܫܘܠܛܢܗ . ܕܝܢ ܢܬܝܒܘܢ
ܠܫܠܡܗ ܒܫܠܡܘܬܐ : ܘܐܢܫ [26] ܠܫܠܡܐ ܕܡܢ ܫܠܡܘܬܐ ܠܫܡܫܘܬܐ ܀

ܐܝܟܢܐ ܠܫܠܡܐ ܚܙܘ : ܘܐܢܫܝܢ ܠܟܠܗܘܢ ܡܬܒܥܐ ܀

ܡܟܝܠ ܒܫܘܒܚܐ [27] ܚܙܘ ܗܢܐ ܕܗܪܐ ܡܢ ܟܠ ܫܠܡܐ . ܘܡܬܒܥܝܐ
ܐܪܐ ܒܫܘܒܚܗ ܕܢܫܐ ܠܗ ܒܫܠܡܐ [28] : ܘܐܢܫܝܢ ܚܙܘ ܒܫܘܒܚܐ .
ܕܗܝ ܐܪܐ ܠܗ ܡܢ ܫܘܒܚܐ ܕܢܫܝܢ ܠܫܠܡܐ ܢܬܪܘܡ ܕܒܥܘܗ ܀

ܒܫܘܒܚܐ ܚܙܘ ܕܐܢܫܝܢ ܒܫܠܡܝܢ . ܕܐܢܫܐ ܠܗ ܐܝܟܘܬܐ
ܘܢܫܒܘܩ ܒܗ [29] ܠܫܠܡܐ ܡܢ ܘܢܬܦܫ ܐܦ ܘܡܢ [30] ܐܢܫ ܢܫܠܡ ܗܘܐ
ܘܢܬܪܘܡ ܐܝܟ ܠܐܝܟܘܬܐ ܐܢܫܝܢ ܀

Cod. 14633 : 23. ܒܫܘܠܛܢܐ — 24. Omit. — 25. ܕܫܠܡܐ — 26. ܘܐܢܫ — 27. ܒܫܘܒܚܐ — 28. ܠܫܠܡܐ — 29. ܢܬܪܘܡ ܕܒܗ ܐܝܟܘܬܐ — 30. ܘܡܢ

ad insulam saeculi futuri. Sic enim est in isto mundo sensatio futurorum ut insula parva in medio maris : qui ibi applicuit non amplius quassatur procellis phantasmatum saeculi.

Mercator cum explevit tempus (negotiationis suae) domum suam statim festinat adire : et monachus quamdiu perdidit (1) tempus sui laboris affligitur exire a corpore, sed ubi percepit in anima quod redemit tempus (2) accepitque suum pignus ardenter desiderat saeculum futurum.

Quamdiu mercator est in mari tremit in suis membris ne forte exurgat tempestas et submergatur spes sui laboris : et monachus quandiu est in mundo timor possidet laborem ejus, ne forte excitetur procella adversus ipsum pereatque labor totius ejus vitae (3)

Mercator terram intuetur : et monachus momentum mortis.

Nauta stellam respicit dum medio mari graditur et juxta hanc dirigit navem suam ut inveniat portum : monachus respicit orationem ; ipsa indicat ei iter illius portus ad quem dirigat conversationem suam.

Orationem intuetur monachus in omni momento : ut illa ostendat ei insulam in qua alliget navem suam absque periculo ibique sumat viaticum ut iterum se dirigat ad insulam aliam.

(1) ܦܟܫ. Vocabulum in *Thesauro syriaco* omissum ; idem utique ac arabicum فكّش, *amisit, dilapidavit* (Freytag. *Lex.*), Graecus hic vertit : *ὁ μοναχὸς ὅσον ἀκμὴν ἀπολείπεται ὁ καιρὸς τῆς πράξεως αὐτοῦ...*

(2) ܩܢܐ ܠܙܒܢܗ — *ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, redimere tempus*, ut habet Vulgata, est locutio biblica quae bis occurrit in N. T. (Eph. V, 16, Col. IV, 5), ubi habet sensum : toto animo alicui rei incumbendi, sollicite aliquid et caute observandi, ut solent facere mercatores. Quidam male huic locutioni aliam interpretationem dederunt in errorem adducti sive ex ejus usu apud classicos auctores (Cf. Cic. Verr. I, 3), sive ex sensu locutionis hebraïcae : quae semel in V. T. legitur (Dan. II, 8) : דִּי עִדָּנָא אַנְתּוּן זָבְנִין, ubi significat *moras nectere*.

(3) Ad litt. : inde a juventute usque ad senectutem.

ܗܟܢܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܡܕܒܪܢܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܒܫܢܐ ܕܐܬܝܠܕ ܒܗ̇ ܒܗܠܝܢ
ܫܢܝ̈ܐ. ܘܩܕܡ ܐܓܪ̈ܐ ܠܓܝܪ̈ܐ ܡܫܢܝܐ ܘܩܕܡ ܣܝܒܘܬܐ ܠܣܝܒܘܬܐ.
ܘܐܝܟ ܕܒܫܘܠܡܗ ܕܓܝܪ̈ܐ ܒܣܝܒܘ̈ܬܐ ܡܫܡܠܝܬܐ ܦܪܝܫ. ܟܝ ܡܢܐ
ܕܫܠܡ ܡܢ ܫܢܐ. ܘܠܗܘܢ ܡܝܬܘܬܗ ܕܡܪܢ ܡܕܒܪܢܘܬܗ ܠܫܡܫܝܢ.
ܘܠܐ ܠܘܩܒܠ ܡܬܬܠܟܪܝܢ ܒܗ ܠܡܫܘܬܦܘܬܗ · ܐܠܐ ܒܠܚܘܕ ܠܟܠ
ܡܕܒܪܢܘܬܗ ܡܫܬܟܠܢܘܬܐ ÷

ܬܘܒ ܠܡܠܝ ܕܐܬܕܒܪ ܡܕܒܪܢܘܬܗ ܒܗܘ ܫܢܐ ܗܢܐ ܕܢܐ:
ܬܘܒ ܠܡܠܝ ܕܠܐ ܐܬܬܒܪܝ ܠܟܠܗ ܘܡܠܬܐ ܠܟܠܡܠܐ ܗܘ ܒܪ[31]
ܚܝܐ ÷

ܫܡܥܐ ܬܠܝܬܝܐ ܠܡܠܝ ܒܗ ܫܢܐ ܐܝܟ ܕܡܫܬܟܚܝܢ ܡܢܝܢܘܬܐ:
ܘܕܝܢܐ ܚܡܫܢܐ ܬܠܝܬܝܐ ܕܐܝܟ ܒܫܢܬܐ ܕܡܫܬܟܚܝܢ ܠܡܢܝܢܘܬܐ
ܫܒܥܝܢ ܡܫܡܫܐ ܒܡܘܠܕܗ. ܘܫܢܐ ܕܐܬܒܣܝܗ. ܕܡܢܗ ܠܐ ܗܘܐ
ܠܘܩܒܠ ܡܫܝܚܐ ÷

ܡܢܝܢܘܬܐ ܒܬܘܠܬܐ ܡܬܝܠܕܢܝܬܐ: ܘܒܫܒܥܗ ܕܫܡܫܝܐ ܒܗ
ܫܢܬܐ ÷

ܒܬܘܠܬܐ ܒܥܘ̈ܡܩܐ ܡܫܬܒܚܢܐ: ܘܢܦܠܬܗ ܕܕܝܘܪ̈ܐ ܒܬܘ̈ܠܬܐ÷
ܦܬܚܬܐ ܡܢ ܟܠ ܕܝܢ ܠܚܘܕܗ ܘܢ̈ܫܐ ܕܠܟܘܢ ܒܬ̈ܠܬܐ: ܘܕܝܘܪ̈ܐ
ܦܘܪܫܐ ܡܫܬܘܕܥܝܢ ܠܒܝܬܘܠܬܗ ܕܠܒܟܘܢ ܒܝܘܡ ܦܪ̈ܐ ܕܫܢ̈ܐ ÷
ܫܡܫܐ ܗܝ ܒܟܠܗ ܡܫܡܫܢܝܢ. ܒܫܒܥܗ ܡܕܝܕܪ :

Cod. 14635 : 31. ܒܪ, male.

Talis est via monachi quamdiu permanet in hac vita : ex insula in insulam migrat, id est, ex scientia in scientiam, et quasi per mutationem insularum in varias scientias incurrit usquedum ascendat a mari et iter ejus perveniat ad civitatem veritatis, cujus habitatores non amplius negotiantur, sed unusquisque bonis suis quiete fruitur.

Beatus homo cujus iter in medio hujus magni maris confusum non fuit ; beatus cujus navis confracta non fuit et ad portum pervenit ubi laetatur (1).

Urinator nudus immergit se in mare ut inveniat margaritas, et monachus sapiens nudus graditur in mundo ut inveniat Margaritam ipsum Jesum Christum (2). Quando autem eam invenit cum ipsa quicquam aliud amplius haud possidet.

Margarita in aerariis (3) servatur : et gaudium monachi in silentio.

Virgo in conventiculis spoliatur : et mens monachi in colloquiis.

Avis ex omni loco ad nidum suum currit ut faciat ova : et monachus prudens properat ad cellam suam ut in ea faciat fructus vitae.

Serpens quando totum ejus corpus conteritur suo capiti cavet :

(1) ܚܕܐ Hanc vocem restitui auctoritate graeci interpretis fretus (ἐν χαρᾷ). Codd. habent ܚܪܐ.

(2) Syri margaritae amant assimilare Christum. Hinc particulae consecratae quae in sacramento Eucharistiae distribuuntur fidelibus Margaritae appellantur. Vid. Lamy, *Diss. de syrorum fide*, pp. 19, 64, 180.

(3) ܬܘ̈ܢܐ, hic eodem vocabulo ac supra reddit graecus (ἐν τοῖς ταμείοις). Verto *aerarium* eo quod ταμεῖον habet hunc sensum : aequo tamen jure aliam ex variis vocis ܬܘܢܐ significationibus quis eligeret.

ܘܡܫܝ̣ܚܐ ܕܫܒܚ ܡܬܕܪܗ ܒܟܠ ܥܕ̈ܢܝܢ ܒܡܫܡܠܝܘܬܗ ܕܐܬܝܗܒܬܗ̇
ܥܡܐ ܕܫܠܝ̈ܚܘܗܝ ܀

ܟܠܢܐ ܡܫܒܚܐ ܠܡܫܝܚܐ : ܘܡܫܡܠܠܢܐ ܫܡ̈ܝܢܐ ܠܟܢܫܐ ܕܫܪܝܬ
ܢܗܪܐ ܒܬܐܘܪܝܐ ܕܝܘܠܦܢܐ ܀

ܗܘ̇ ܦܪܝܫܬܐ ܕܡܬܦܪܫܐ ܚܕܪܐ ܒܗ̇ ܘܐܒܢܐ ܪܘܐ ܘܡܬܒܣܡܢܐ
ܐܝܟ ܡܠܟܬܐ ܕܫܒܝ̈ܚܬܐ . ܡܐ ܕܦܪܝܫܐ ܠܢܦܫܗ ܡܢ ܘܒܥ̈ܬܐ ܕܫܝܢܐ .
ܘܐܢܐ ܠܡܪܝܐ[32] ܒܐܬܪܐ ܚܕܘܬܐ . ܘܢܦܫܗ ܕܡܫܝܚܐ ܒܗ̇ ܘܗ̇ ܐܒܢܐ
ܡܒܘܢܐ ܚܝܘܬܐ ܡܫܬܠܡܬܐ . ܡܐ ܕܡܬܚܙܝܐ ܡܬܗ ܡܢ ܒܢ̈ܝܢܐ
ܘܐܢܐ ܠܡܪܝܐ[32] ܒܐܬܘ̈ܬܐ ܕܡܠܟܐ . ܘܬܦܢܐ ܡܫܒܚܐ ܠܐܒܢܐ
ܕܡܒܢܝܗ̇ ܀

ܐܡܪܝܢ ܕܝܢ ܟܠܗ ܦܪܝܫܬܐ ܗ̇ܝ ܕܡܬܦܪܫܐ ܐܘܪܫܠܡ . ܕܒܗ̇
ܐܒܢܐ ܕܠܡܠܬܗ ܬܐ . ܗܢܐ ܒܠܒܗ ܡܬܬܒܢܐ ܒܬܪܗ ܒܡܫܪܝܬܐ
ܕܒܡܚܒܢܐ . ܐܝܟ ܡܐ ܕܒܫܠܡܘܬܐ ܕܡܬܒ̈ܢܝܢܗ ܬܐܢܐ ܚܢ̈ܘܗܝ ܘܢܦܫܠ
ܡܢܐ[33] : ܠܗܘܐ ܕܡܐܢܐ ܠܒܘܬܗ ܕܢܦܫܐ . ܕܐܡܬܝ ܕܢܦܠܐ ܒܗ
ܫܠܝܬܐ ܗܘ ܫܡܫܬܐ ܡܢ ܢܚܡܬܐ ܕܦܬܟ̈ܡܘܗܝ ܕܐܠܗܐ .
ܒܡܢ ܡܢܝܚܘܬܐ ܕܒܗܘܢܐ ܗܢܐ ܒܟܠܗ ܐܝܟ ܒܬܪܗ . ܐܝܟܢܐ
ܕܡܢܐ ܠܥܢ̈ܝܐ ܘܚܫܡܢ̈ܝܐ ܘܡܒܢܐ ܠܥܝܪܗ ܡܢ ܗܢܘܢܬܗ .
ܘܡܬܠܒܟܐ ܠܘܬܗ ܡܢ ܚܢܢܐ ܀

ܫܠܡܢ ܫܢ̈ܘܗܝ ܕܠܡܠܟܐ ܗܢܐ ܢܐܢܐ ܕܚܝܐ ܦܝܪܘܬܐ . ܠܗ

Cod. 14633 : 32. ܘܠܡܪܝܐ — 33. ܘܡܢܐ ·

et monachus sapiens cavet in omnibus malis fidei suae quae est caput ejus vitae.

Nubes obscurat solem et confabulatio frequens animam quae coepit illuminari in contemplatione orationis.

Avis quae vocatur ciconia (1) tunc exultat et delectatur (2), juxta verbum sapientum, cum ab agris migrat et vadit habitum in loco deserto : et anima monachi tunc accipit gaudium coeleste cum seipsam amovet ab hominibus vaditque habitum in locis tranquillis ibique expectat tempus sui exitus.

Dicitur de ista avi, quam vocant Sirenam, quemcumque audientem ejus modulationes post eam in viam deserti totum captivum duci, adeo ut, ob suavitatem ejus cantus, propriae vitae immemor cadat et moriatur. Simile est negotium animae : quando cadit in ipsam dulcedo coelestis ex modulatione verborum Dei per perceptionem intellectus, ipsa tota abit post eum, adeo ut obliviscatur vitae temporalis, relinquat corpus prae suavitate, eleveturque ex vita ad Deum.

Jucunda est vita hujus saeculi ei qui carnaliter vivit :

(1) ܚܣܕܝܬܐ. Quaenam avis hac voce designetur cum certitudine determinari nequit. Interpres graecus vertit ἐρωδιός, sed vox syriaca potius *ciconiam* significat, etsi aliis avibus quandoque designandis inserviat. Cf. *Thesaur. syriac.* sub hoc verbo.

(2) ܪܘܙܐ ܘܡܫܬܒܗܪܐ — Gr. : εὐφραίνεται καὶ ἀγαλλίαται.

ܕܡܢ ܐܝܟ ܦܘܪܫܢܐ ܕܡܢܗܘܢ ܠܐܢܫܐ ܕܦܪܫ ܡܢܗܘܢ ܒܗܝ ܦܪܝܫܬܐ ܕܒܐܠܗܐ ܀

ܐܝܟܢܐ ܠܡܪܝܐ ܕܫܠܚ ܠܬܪܥܐ ܡܝܩܪܐ ܠܐ ܡܩܒܠ ܦܬܓܡܐ ܫܝ̈ܢܐ: ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܡܪܝܐ ܕܠܐ[34] ܠܒܝ ܡܢ ܠܒܗ ܠܒܘܢܝܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܗ ܠܐ ܡܩܒܠ ܦܬܓܡܐ ܫܝ̈ܢܐ ܒܗܝ ܡܫܡܫ ܡܬܚܫܢܐ ܀

ܪܘܚܐ ܡܫܡܠܝܐ ܦܐܪ̈ܐ. ܘܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ ܠܦܐܪ̈ܐ ܕܒܢܦܫܬܐ ܀

ܐܠܦܬܐ[35] ܕܡܬܝܒܠܐ ܒܗ ܡܬܪܥܝܬܐ. ܡܢ ܐܐܪ ܡܩܒܠܐ ܡܠܟܘܬܐ[36]. ܐܝܟ ܕܐܡܝܪܐ ܡܠܟܘܬܐ. ܘܡܪܝܐ ܗܘ[37] ܠܒܪ̈ܝܝܢ ܒܣܪܐ ܗܘ ܚܫܡܢܐ. ܘܠܒܗ ܕܕܝܪܝܐ ܠܡܪܝܐ ܕܡܩܒܠ ܡܠܟܘܬܐ ܚܫ̈ܝܫܬܐ ܒܗܝ ܫܘ̈ܒܚܐ ܠܒܢܝܢܐ ܚܫܡܢܐ ܗܘ ܦܘܠܚܢܗ. ܘܠܝܬ ܒܗ[38] ܒܡܠܐ ܡܢ ܐܠܦܬܗ ܀

ܦܐܪ̈ܐ ܕܐܝܟܢܐ ܚܪܘܦܝܢ ܘܠܒܝܒܝܢ ܒܬܘܠܡܝܗܘܢ. ܘܠܐ ܚܫܝܒܝܢ ܠܡܬܐܘܠܬܐ. ܠܡܪܝܐ ܕܢܦܠܐ ܒܗܘܢ ܚܠܡܢܬܐ ܕܡܢ[39] ܚܡܝܢܐ ܀ ܘܒܚܐܠܐ ܡܝܬܪ̈ܬܐ ܕܢܒܗܢܬܐ ܡܢܬܪܝܢ ܘܠܒܝܒܝܢ ܫܝܢ. ܘܠܐ ܡܒܐܝܢ ܠܡܫܡܫܢܐ ܠܡܪܝܐ ܕܢܦܠܐ ܒܗܘܢ ܚܠܡܢܬܐ ܗܝ ܕܐܘܪܚܐ ܕܡܫܝܠܐ ܠܟܠܗܐ ܡܢ ܐܬܟܠܝܬܐ ܘܝܬܪܐ ܡܢܗܘܢ ܀

ܠܟܠܐ ܕܡܠܟܝ ܚܘܒܠܢܐ ܡܢ ܕܡܠܗ ܫܬܐ. ܘܠܐ ܡܢܝ ܫܘܒܩܢܗ ܡܛܠ ܚܠܡܢܬܐ ܡܠܬܗ[40] . ܘܡܫܡܫܢܐ ܕܡܠܬܪܝܢ ܠܡܫܠܡܬܐ ܚܘܒܫܐ

Cod. 14633 : 34. ܠܡܪܝܐ ܕܠܒܝ — 35. Add. ܗܘ — 36. ܡܠܟܘܬܗ — 37. Omit. — 38. ܒܗ . — 39. ܡܢ — 40. ܕܡܠܬܗ

jucundior separatio illi qui recedit ab illa vita prae divina voluptate (1).

Arbor usquedum exuerit folia priora, ramos non producit novos : et monachus quamdiu non excusserit e corde suo recordationem anteactae vitae (2) non producit ramos novos in Jesu Christo.

Spiritus maturat fructus : et Spiritus Dei fructus animae.

Concha in qua efformatur margarita ex aere accipit ejus materiam, ut aiunt, et usque in id temporis ipsius caro est communis : et cor monachi donec intellectu recipiat materiam coelestem, hactenus communis est operatio ipsius nec in sua concha percipit consolationem (3).

Fructus arborum acerbi fastidiosique sunt gustui, nec ad vescendum apti donec sol dulcedinem eis infundat : et primi labores poenitentiae valde amari sunt et fastidiosi nec consolationem praebent monacho donec dulcedo contemplationis, quae avertit cor a terrenis, cadat in eos et obliviscatur semetipsum (4).

Canis qui lingit limam proprium sanguinem bibit, nec sentit laesionem ob dulcedinem sanguinis : et monachus qui declinat ad bibendam vanam gloriam

(1) Totam periodum omisit graecus.

(2) ܕܩܕ̈ܡܝܬܗ. ad litt. : priorum suorum.

(3) Puto sensum esse: *non audit consolationem*, et vocem syriacam ܨܕܦܬܐ habere etiam sensum *auris* uti arabicam صدف quae et *concham* et *aurem* notat. (Dozy, *Suppl. aux Dict. arab.* I, 824.)

(4) Totam periodum omitit graecus.

ܦܪܝܩܐ . ܡܢ ܚܫ̈ܘܗܝ ܡܪܢ . ܘܠܐ ܡܬܪܓܫ ܒܫܘܦܪܗ ܡܛܠ
ܚܠܝܡܘܬܐ ܕܫܡܠܐ ܀

ܗܟܢܐ ܕܒܬ̈ܩܢܐ ܐܝܟ ܕܠܬܪܐ ܗ̇ܘ[41] ܕܡܬܒܥܐ ܒܝܕ ܡܫܟܢܐ . ܘܠܐ ܡܬܠܝܛ ܠܡܫܡܫܢܐ ܠܒܝܬܐ ܕܢܦܫܐ ܒܗ ܠܟܠܐ . ܘܢܦܩܘܢ ܠܐܝܬܠܗ ܘܡܬܠܡܠܡܢܐ ܡܠ̈ܝܐ . ܐܡܝܪ ܗ̇ܘ[42] ܡܬܟܠܠܗ ܠܐܒܗ̈ܬܐ ܕܒܐܝܬܘܗܝ ܠܬܪ̈ܥܝܢ ܬܘܒ ܒܠܗܘܢ ܚܙܝ ܠܟܘ ܢܥܡܐ . ܐܡܠܝܟ ܕܚܝܐ ܐܢܬ ܐܬܒܥܘ ܗ̇ܘܘ ܘܠܒܫܘ ܡܠܘܗܝ ܀

ܟܠܢܐ ܠܒܘܬܐ ܡܫܒܚܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ[43] ܘܡܥܡܕܢܐ[44] ܕܒܬܪܗ ܫܡܫ̈ܝ ܦܝܢ . ܘܥܠܡܐ ܠܒܘܪܐ ܡܫܟܢܐ[45] ܠܟܢܫܐ · ܘܐܘܪܚܬܐ ܕܡܢ ܒܬܪܗ ܠܡܐܢ ܦܝܫܐ ܀

ܐܡܪ ܕܐܡܪ ܒܐܒܘܢܐ . ܡܢ ܟܠ ܡܪܢܝܬܗ ܠܐ ܡܬܬܪܨܐ . ܘܡܢܐ ܕܐܪܥܐ ܐܡܪܗ ܠܘܩܒܠ ܒܥܠܡܐ ܒܪܫܗ ܘܚܝܠܘܬܐ ܕܡܠ̈ܐ ܕܠܐ ܠܟܠܝܐ ܠܐ ܡܫܬܒܩܐ . ܘܡܢܐ ܕܫܟܠ ܡܠܬܘܢ ܒܪܢܫܐ ܠܘܩܒܠ ܗܢܘܢ ܀

ܐܒܢܐ ܕܠܐ ܡܬܩܢܐ ܕܐܢܬ ܢܥܝܬܐ ܚܙܝܐ ܘܠܐ ܢܦܫ ܪܘܚܐ ܡܢ ܒܩܠܗ . ܗܒܢܐ ܠܐ ܡܬܩܢܐ ܕܢܥܠܘܐ ܐܢܬ ܠܒܢܝܢܐ ܪܘܚܢܐ ܒܦܘܪܩܗ . ܘܚܘܫܒܢܐ ܕܦ̈ܓܪܗ ܠܐ ܡܫܬܥܘܕ̈ܝܢ ܠܚܫ̈ܒܢܐ ܀

ܠܒܐ ܕܡܒܠ ܐܪܟܐ ܚܘܡܝܢܐ . ܡܬܚܝܠ ܒܡܬܠܟܠܟܗ . ܡܬܚܝܠ ܒܠܪܬܗ . ܡܬܚܝܠ ܒܦܘܪܩܗ . ܡܬܚܝܠ ܒܬܫܒܘܚܬܗ .

Cod. 14633 : 41. ܗ̇ܘ — 42. ܗܘ — 43. ܐܦܣܩܘܦܐ — 44. Forsan legendum ܕܡܥܡܕܢܐ — 45. ܡܫܟܢܐ

propriam vitam exsugit nec percipit nocumentum ob momentaneam dulcedinem.

Gloria mundana (est) quasi saxum in mari absconditum et nautae ignotum donec ipsi impingat navis : saxo perforatur carina navisque aquis impletur. Dicitur a Patribus de ista (gloria mundana) ipsius ope redire in animam omnes passiones quae semel resecatae et ab ea expulsae fuerant.

Nubes parva obscurat discum solis qui post eam valde rutilat ; et acedia parva obscurat animam : gaudium autem quod sequitur magis hilare est.

Tibicen cum canit fistula (1) ex sono cantus non nutritur ; immo quando relaxatur cantus magis esurit venter ejus : et dulcedo verborum sine operibus non satiat, cumque ab iis desistit homo magis erubescit.

Quemadmodum nemo potest vinum bibere quin ab ejus ore exhaletur odor ; ita nemo potest bibere voluptatem spiritualem in conversatione sua quin mutatio rerum ejus innotescat sapientibus.

Cor quod suscepit semen coeleste mutatur in sermone, mutatur in cogitatione, mutatur in opere, mutatur in sensibus ;

(1) ܐܒܘܒܐ. Quid designetur hac voce? Utique instrumentum musices ; sed cujusnam generis ? an fidibus constans ? an, quod longe probabilius videtur, ore inflandum ? cum absoluta certitudine dici nequit. Inter se non conveniunt lexicographi syri. Plerique *tibiam*, *fistulam*, *arundinem* exponunt. Elias Bar Sinaei qui dicit esse *cornu*, *tubam*, *buccinam*, *sephon*, etiam notat fuisse instrumentum « quod habet chordas viginti. » — Nec lux affulget ex locis quibus latini scriptores (Horat. I *Sat.* 2, 1 ; Suet. *Ner.* 27) loquuntur de *Ambubaijs* mulieribus nempe syris quae Romae in circo prostibulisve habitantes, corpore quaestum faciebant simulque lucellum captabant ex sonitu organorum musicorum quae secum e Syria attulerant. Qua de re Juv. *Sat.* III, 62 :

Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
Et linguam et mores et *cum tibicine chordas*
Obliquas necnon gentilia tympana secum
Vexit.....

ܘܒܒܠܒܠܝܐ ܕܡܠܗ ܡܫܬܡܥ. ܐܝܟ ܡܢܪܐ ܕܒܩܝܢܬܐ ܡܫܩܠܐ.
ܘܪܡܐ ܠܐܠܗܐ[45a] ܕܪܡܝܢ ܗܘܐ ܘܠܝ ܡܢ ܫܝܢܬܐ ܀

ܠܡܬܠܐ ܐܘܪܝܬܐ ܕܒܟܬܒܐ. ܕܠܐ ܢܣܒܘܢ ܘܐܦܠܐ ܒܡܘܪܕܐ ܕܡܢ ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܢܩܪܒܘܢ. ܟܕ ܐܡܪ ܐܢܐ. ܡܢܪܐ ܗܘ ܠܗ ܕܐܫܟ ܡܢܝܚܘܬܐ ܕܚܝܠܐ ܕܒܗܘܢ. ܡܠܟܝܐ ܕܫܒܠܐ ܕܡܢܪܐ ܕܒܟܬܒܐ ܠܢܘܒܬܐ ܚܝܝܒܝܢ ܠܗ ܕܐܝܬܘܗܝ ܀

ܐܝܬܝܗ ܕܝܢܐ ܐܢܐ ܕܢܢܩܪܒܘܢ ܒܠܒܗ ܠܗܘܢ ܠܐܠܗܐ. ܠܗ ܩܪܘܒ ܒܡܢܝܢܘܬܐ ܚܢܐ ܗܘ ܠܗ ܚܝܒܐ. ܐܝܟ ܗܘܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܚܕܘܪܐ ܕܕܒܢܐ. ܢܘܪܐܝܬ ܕܝܢ ܡܬܩܪܒܝܢ ܠܒܐ ܠܘܬ ܠܐܠܗܐ. ܒܫܘܪܐ ܕܫܘܠܡܐ ܚܚܝܬܐ ܕܚܝܐ ܘܠܒܒܐ ܕܠܒܟܠܢܐ. ܐܦ ܡܢܝ ܐܝܟ ܗܘܪܐ ܠܒܝ ܫܬܐܫܬܐ ܠܡܠܢܝܘܬܐ ܀

ܠܚܝܒܐ ܕܢܒܝܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ ܕܐܝܬܘܗܝ ܚܕܘܪܐ ܒܬܠܢܐ. ܚܝܒܐ ܠܟܠ ܚܝܒܐ ܠܢܝܢܐ ܕܡܬܠܠܢܐ ܘܠܠܬܐ ܠܒܝܬܐ ܢܪܝܢܐ. ܐܦ ܩܠܠܐ ܡܘܢܩܢܝܬܐ ܕܠܐ ܢܚܘܡܐ ܚܝܒܐ ܠܚܒܝܒ ܀ ܡܪܕܝܬܐ ܠܗ ܢܒܝܐ ܒܒܠܝܢܐ ܢܬܝܪܐ ܐܦܢ ܢܗܘܐ ܕܠܝܚܠܬ ܠܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܠܢܪܐ ܘܐܢܐ ܕܡܢܘܪܐ ܀ ܡܬܝܒܢܐ ܠܝܘܕܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ ܕܐܝܬܘܗܝ ܚܝܒܐ ܕܡܢ ܢܒܝܝܐ ܗܘܐ ܐܝܟ ܠܐ ܡܬܚܫܒܢܐ ܕܕܒܪܐ ܀

ܡܬܚܫܬܐ ܘܐܢܐ ܒܡܘܒܪܐ ܡܬܢܗܪܢܐ ܕܪܟܝܢܐ ܘܕܚܘܒܐ ܕܕܘܒܪܐ. ܡܢܐ ܕܡܬܒܠܒܠ ܢܟܝܢܐ ܐܝܟ ܠܐ ܡܬܚܫܒܢܐ ܢܦܫ.

Cod. 14635 : 45. ܘܐܝܟ ܐܢܐ .

in omnibus suis differt a reliquis hominibus vulgi. Simile est homini qui dormiebat et (nunc) a somno excitatus est (1).

Ad verba arcana Scripturarum sine oratione et petitione auxilii divini ne accedas. Dic vero : Domine, da mihi accipere cognitionem earum. Clavem verae Scripturarum intelligentiae esse orationem tecum recogita.

Quando vis corde accedere ad Deum, prius in corporalibus ostende ei tuum amorem. Hinc enim est initium conversationis. Magnopere quippe accedit cor ad Deum per privationem victus exquisiti (2) et exercitium operum. Qua in re etiam posuit Dominus fundamentum perfectionis.

Initium tenebrarum animae reputa esse otium : tenebras autem quam maximas confabulationem (3); haec istarum est causa (4). Etiam sermones utiles nimium protracti (5) tenebras operantur. Vilescit anima in confabulatione nimia : etiam si timor Dei fuerit scopus et conveniendi causa. Excitatrices fore perturbationis existima tenebras spirituales quae fiunt ex inordinatione actionum.

Modus et regula in vita, illuminatores sunt mentis dissipatoresque perturbationis. Quando mens ex inordinatione perturbatur obscura fit ;

(1) Haec et duae praecedentes periodi a graeco omissae fuerunt.

(2) Interpretatur gr. : ܒܦܘܠܚܢ ܣܝܒܪܬܐ ܕܓܒܝܪܐ, ἐν τῇ ἀσκήσει τοῦ ἑνὸς εἴδους τῆς τροφῆς. Lectio vix sana. Forsan legendum est ܕܓܒܝܐ, *cibus qui sit exquisitus.*

(3) ܥܢܝܢܐ ܕܡܡܠܠܐ. Graec. : τὰς τῶν λόγων συντυχίας.

(4) ܥܠܬܐ, reddit gr. ἀφορμή; *le point de départ.*

(5) ܕܠܐ ܡܫܘܚܬܐ, ἀμέτρως = *immoderati* ; addit gr.: πόσῳ μᾶλλον τὰ μάταια.

ܘܡܛܠ ܕܢܦܫܝ ܡܬܕܘܪܐ ܢܦܫܐ . ܗܫܐ ܕܝܢ ܡܬܟܫܦܢܘܬܐ ܗܘܐ .
ܘܠܘܗܪܐ ܕܝܢ ܗܫܐ ܒܢܦܫܐ ܡܬܬܟܝܢ . ܘܕܝܢ ܗܫܐ ܐܦ ܦܓܪܐ
ܕܢܫ[46] ܒܢܓܕܢܐ . ܒܡܬܘܡܝܐ ܕܡܬܘܡܪܒ[47] ܠܟܠ ܠܡܫܡܫܬܐ .
ܗܒܢܐ ܡܫܡܫܐ ܚܝܘܬܐ ܕܒܐܠܗܐ ❖

ܦܘܪܫܢܐ ܕܡܫܡܫܬܐ ܕܪܘܚܐ ܕܝܢ ܗܘ ܕܠܠܡܐ . ܡܛܪܝܢ ܐܢܬ
ܒܢܦܫܟ : ܕܒܗܘܢ[48] ܕܝܢ ܗܬܘܐ ܡܬܟܠܠܝܢ ܠܟܠ ܢܦܫܟ . ܒܗܕܐ
ܕܝܢ ܡܫܘܒܠܐ ܕܦܗܝܐ ܗܘܐ : ܘܒܬܪ ܫܒܝܬܐ ܡܬܘܡܝܐ ܐܢܬ
ܡܫܒܚܐ ܫܦܝܪܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ . ܘܗܫܐ ܕܡܬܟܠܠܝܢ ܒܟܠܗܘܢ
ܫܒ̈ܚܝܢ ܗܘܕ̈ܝܢ ܕܐܬܒܛܠܘ ܘܫܠܡܘ ܕܝܢ ܬܐܝܬܘܬܐ ܘܕܘܪܐ :
ܒܬܪ ܫܒܝܬܐ ܕܝܢ ܕܬܪܝܢܬܐ ܗܢܐ ܐܢܬ ܡܫܒܪܢܘܬܐ
ܒܬܪܝܢܬܐ . ܘܫܘܒܚܐ ܡܫ̈ܡܠܝܐ ܕܠܐ ܡܬܡܠܠܝܢ . ܘܕܘܪܐ
ܕܗܘܐ . ܘܕ̈ܝܠܝܢ ܕܗܘܝܢ ܬܐܝܬܝܢ ܘܫܦܝܪܝܢ ❖

❖ ܝ ❖

ܬܫܡܫܬܐ ܕܬܠܝܬܝܬܐ ܠܟܠ ܬܐܘܪܝܐ ܕܫܒܬܐ ܘܕܚܕ ܒܫܒܐ ❖

(*Add. msc.* 14632, fº 47*a*.)

ܚܕ ܒܫܒܐ ܐܪܐ ܗܘ ܕܡܚܝܠܬܐ ܕܫܪܪܐ . ܗܘ ܕܒܗ ܒܫܪܐ ܘܕܡܐ
ܠܐ ܡܬܡܒܠܐ . ܘܒܠܝܬܐ ܕܡܢ ܡܫܒܪܢܘܬܐ . ܒܒܠܡܐ ܕܡܢ

Cod. 14633 : 46. Omit. — 47. ܡܬܘܡܪܒ — 48. ܒܗܘܢ

quando obscura fit perturbatur anima. Pax ex ordinatione fit et illuminatio ex pace in anima gignitur. Ex pace aer serenus oritur in mente. Quantum appropinquat cor ad sapientiam, tantum suscipit gaudium divinum.

Discrimen inter sapientiam spiritualem et mundanam percipies in teipso : per illam quidem silentium regnat in anima tua ; per istam autem anima tua, fit fons dissipationis (1). Prima inventa, repleris summa humilitate, tranquillitate paceque domanti omnes cogitationes ac membra tua, quae requiescunt et cessant ab ebullitione et perturbatione (2). Inventa autem altera, possides dubitationem (3) in animo tuo, cogitationes diversas quae effari nequeunt, molestiam (4) mentis, et sensus qui fervidiores sunt et procaciores.

III.

Demonstratio allegorica de contemplatione sabbati et dominicae (5).

(Codd. Lond. 14632, f° 47*a*. — 14633, f° 56*a*. — Codd. Vatic. 124, f° 131*b*; 125, f° 22*b*. — Edit. graec. Lips. pag. 431).

Dominica mysterium est scientiae veritatis : illa quae cum carne et sanguine non suscipitur estque sublimior

(1) ܡܒܘܥ ܕܦܘܚܐ . Gr. : *πηγὴ τοῦ μετεωρισμοῦ*, *fons superbiae*.

(2) Gr., inverso ordine, ut videtur, *ἐκ τῆς ταραχῆς καὶ τοῦ στρηνιασμοῦ* : *a confusione et luxuria*.

(3) ܡܫܬܪܝܢܘܬܐ graecus hic vertit : *ὑπερηφανίαν* : *superbiam*.

(4) Graecus habet : *ταραχὴν* ; sed vox ܕܘܟܪܐ quam defectu aptioris vocabuli reddo *molestiam* proprie designat sensationem qualis accidit oculo cum laeditur. (Bar Alii *Lex. syr. arb.*).

(5) Titulus graecus : *Ὑπόδειγμα καὶ παραβολὴ περὶ τῆς κατα κυριακὴν καὶ σάββαταν θεωρίας.* — Sabbatum et dominicam in

ܗܢܐ ܠܟܠ ܡܫܡܥܢܐ ܠܡܬܠܡܕܢܐ . ܐܠܐ ܕܝܢ ܐܦܠܐ ܫܒܬܐ ܫܪܝܪܬܐ . ܗ̇ܘ ܕܝܢ ܕܐܬܬܢܝܚ ܠܟܠܗܘܢ ܒܡܫܘܚܬܐ ܡܫܡܠܝܬܐ : ܐܝܟܢܐ ܗ̇ܘ ܕܫܠܡܘܗܝ ܕܟܠܗܝܢ ܡܢ ܪܗܛܐ ܕܚ̈ܝܐ ܗܠܝܢ : ܡܛܠ ܕܐܦ ܒܣܪܐ ܢܣܝܒܐ ܗܘ . ܡܛܠܗ ܗ̇ܘ ܝܘܢ[1] ܡܢ ܕܠܟܠܡܐ ܗܢܐ ܀

ܗܕܐ ܡܕܝܢ ܒܡܫܘܠܡܢܐ ܕܚ̈ܝܐ ܒܬܘܕܝܬܐ[2] ܘܩܘܪܒܢܐ[2] ܡܬܝܗܒܝܢ . ܘܒܡܫܘܠܡܢܐ ܕܥܒܕܐ ܡܬܩܢܝܢܐ . ܘܠܡܫܡܠܝܢܐ ܒܡܫܘܚܬܐ ܕܡܠܘܗܝ . ܐܝܟܢܐ ܝܘܢ ܕܐܢܫ[3] ܕܡܫܡܠܝܢܐ ܒܫܠܡܐ ܡܬܟܠܡܝܢ ܥܠܝ ܐܟܠܝܢ ܕܗܘܝܢ . ܘܠܐ ܠܗ ܠܡܫܡܥܐ ܡܫܟܚܝܢ ܫܘܡܠܝܗܘܢ : ܗܢܐ ܘܐܢܫ[3] ܕܫܒܬܐ ܐܝܟ ܕܒܚܫܝܒܘܬܐ ܡܬܟܠܡܝܢ ܒܫܡܝܐ ܥܠܝ . ܘܠܐ ܠܗ̇ ܠܫܒܬܐ ܫܪܝܪܬܐ . ܕܐܝܬܘܗ̇ ܒܟܢܐ ܕܡܢܗ ܥܠ ܟܠ ܘܐܝܬܘܗ̇ ܢܫܡܬܐ ܡܬܠܡܕܢܝܬܐ ܕܡܢ ܡܬܟܠܡܢܬܐ : ܡܢ ܟܠ ܡܕܡ ܐܝܟ ܐܠܗܘܬ ܠܟ ܐܠܗܐ . ܘܥܠ ܗܕܐ ܒܫܘܠܡܢܐ ܫܒܬܐ ܕܢܬܗܦܟ ܒܫܪܝܪܬܐ ܐܝܟܢܐ ܕܠܝ ܗܘܝܐ : ܫܒܬܐ ܝܘܢ ܫܪܝܪܬܐ ܘܠܐ ܡܬܬܢܝܚܬܐ ܒܡܫܡܥܐ ܗ̇ܘ ܗ̇ܘܝܐ . ܘܡܫܘܕܥܐ[4] ܢܦܫܐ ܡܬܟܠܡܢܢܐ ܘܡܢ ܟܠ ܡܫܡ̈ܥܐ ܚ̈ܝܐ ܘܡܢ ܡܫܠܡܢܐ ܕܠܡܫܡܠܝܘܬܗܘܢ . ܒܠܗ ܝܘܢ[6] ܒܪܢܫܐ ܡܫܡܥܬ ܠܡܢ . ܦܘܪܫܐ ܐܝܟ ܘܢܦܫܐ[6] ܀

ܒܬܐ ܡܡ̈ܠܝܢ ܢܦܫܝ ܠܐܠܗܐ ܠܟܘ[7] ܒܫܡܠܝܘܬܗ ܕܠܟܠܡܐ ܗܢܐ .

Cod. 14633 : 1. Omittit ܝܘܢ — 2. Omit. — 3. ܐܢܫ — 4. Omit. — 6. ܦܘܪܫܐ ܠܟܘ ܢܦܫܐ

cogitationibus. In hoc saeculo non est dies octava immo neque sabbatum verum. Deum enim requievisse die septima sacramentum est cessationis naturae nostrae a cursu hujusce vitae ; etiam sepulchrum propterea quod corporeum est, pars est quidem hujus saeculi.

Sex dies in opere vitae (id est) in custodia mandatorum absolvuntur et septima in sepulchro completur : octava autem in exitu ab illo. Sicut enim mysterium dominicae in allegoria suscipiunt ibi qui digni sunt, non autem hanc diem litteraliter accipiunt : ita mysterium sabbati strenui (1) hic secundum demonstrationem accipunt, non autem sabbatum verum, quod est liberatio ab omni contrario (2) et requies perfecta a molestis. In omnibus mysterium proposuit nobis Deus et non ipsam realitatem hic largitus est. Sabbatum enim verum et non allegoricum est in sepulchro ; significat quippe quietem perfectam ab oppressione passionum et a lucta adversus eas. Totus namque homo sabbatizat ibi : corpus una cum anima (3).

Intra sex dies ordinavit Deus substantiam hujus mundi :

eadem parabola simul conjungi non erit mirum illi qui recordabitur utrumque diem apud Aegyptios monachos in pari honore ac veneratione habitum et fere iisdem ceremoniis observatum fuisse : utroque enim lectiones ex Novo Testamento recitabant, utroque jejunia solvebant, utroque ad refectionem sine psalmodia accedebant, utroque solemniter ad ecclesiam conveniebant ad orandum, et hisce tantum diebus ad sacrificandum et communicandum, ideoque utroque feriabantur et ab opere vacabant. (Cf. Cassian. *De coenobior. instit.* Lib. III, capp. 9, 11, 12, et alibi passim). Quod memorandum est ut melius quae in hoc sermone recurrunt intelligantur.

(1) ܟܫܝܪ̈ܐ . Gr. : *οἱ ἀγωνισταί.*

(2) ܡܢ ܟܠ ܕܡܥܝܩ . Gr. : *ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ*, *ab omni moestitia*

(3) Haec verba quae prima fronte satis mira apparent nihil aliud significant in mente Auctoris quam hominem morte plane liberari a molestiis hujus vitae. Sabbatizat corpus propter dissolutionem elementorum, sabbatizat anima quia non amplius turbatur passionibus quae solum habent originem a corpore juxta Isaacum.

ܘܐܡܝܪ ܐܣܛܘܟܣܐ ܘܗܢܘܢ ܡܡܠܠܘܬܗܘܢ ܠܡܠܬܐ ܠܐ ܡܫܠܡܬܐ
ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ . ܗܠܝܢ ܕܐܡܪܢ ܡܢ ܪܗܛܐ ܡܢ ܕܐܬܘܪܝܗܘܢ . ܘܡܢܝܢ
ܫܒܥܐ ܕܗܠܝܢ . ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܐܣܛܘܟܣܐ[8] ܐܬܩܪܝ . ܐܡܝܪ ܓܝܪ ܕܡܫܡܫܝܢ
ܕܡܠܝܢ ܘܠܐ ܠܗܘܢ ܡܬܦܢܝܢ ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܐܬܬܢܝܘܢ . ܘܠܐ ܓܝܪ ܡܫܡܫܝܢ
ܡܠܐ ܕܡܠܬܗܘܢ . ܕܠܒܫܘ ܡܢ ܒܒܠܫܢܐ . ܘܫܡܫ ܠܗܠܝܢ ܕܒܗ
ܐܫܬܡܫܬ ܠܒܠܫܢܐ . ܡܢ[9] ܕܠܒܒܗܘܢ ܠܐܫܬܘܬܗܘܢ ܣܘܟܠܐ ܕܐܬܬܘܗܝ
ܗܘܝܐ ܕܡܢ ܫܡܐ : ܐܦ ܠܐܘܟ ܓܝܪ ܗܕܐ ܐܡܪ . ܕܣܘܟܠܐ
ܕܐܬܝܗܒ ܐܬܘܬ ܠܫܡܐ . ܣܘܟܠܐ ܠܐܡܬܝ . ܣܘܟܠܐ[10] ܕܐܬܒܩܝ
ܠܐܪܟܐ ܕܡܠܬܗ ܐܬܒܬܩ . ܠܟܠ ܘܐܬܒܥܝܬ ܒܐܪܟܐ . ܘܐܬܟܐ ܠܟܝ
ܒܩܕܡ ܘܒܪܝܬܐ . ܕܐܬܬܘܗܝ ܐܪܐ ܕܠܠܡܠܐ ܕܒܠܫܢܐ ܗܘ ܕܠܡܠܐ
ܗܢܐ ܒܡܠܐ ܕܝܢ : ܫܡܠܝܗ ܕܝܢ ܡܠܝ ܡܢ ܗܘ ܠܟܠܐ ܕܪܟܬ .
ܣܘܟܠܐ ܕܒܠܫܢܐ[11] ܕܒܐܪܟܐ ܡܬܟܬܒ ܒܩܕܡ ܘܒܪܝܬܐ . ܣܘܟܠܐ
ܕܒܝܬ ܐܚܝ ܘܕܠܝܬ ܒܒܠܫܢܐ ܕܐܬܒܥܝܬ : ܫܡܠܝܐ ܓܝܪ
ܠܟܠܐ ܕܡܠܐ ܒܗ ܗܒܒܗ ܗܘ ܠܠܡܠܠ ܗܘ[12] . ܒܝ ܣܘܟܠ
ܠܐ ܐܬܟܠܝܬ ܗܘܐ ܐܘܪܚܐ ܕܣܘܟܠܐ ܠܟܠ[13] ܐܝܟ ܫܡܠܝܐ . ܐܦܐ ܕܝܢ
ܒܬܒܥܬܗ ܒܐܝܟܐ ܕܡܠܬܐ . ܒܣܘܟܠܗ ܠܚܐܪܘܬܗܘܢ ܕܐܫܬܡܠܝ

Cod. 14633 : 7. Omit. — 8. Uterque codex habet ܐܣܛܘܟܝܐ ܐܬܩܢ ; vocem restitui graeci interpretis auctoritate fretus (λέγω δὴ τῶν ἀρχελόνων στοιχείων). — 9. ܣܘܟܠܐ ܕܠܒܒܗܘܢ — 10. Add. ܠܟܠ — 11. Add. ܪܒܐ — 12. Deest ; corruptus hoc loco videtur textus. — 13 Omit. et punctum ponit post ܣܘܟܠܐ

et condidit elementa deditque constitutioni eorum moveri incessanter in ministerium ut non desisterent a cursu antequam dissolvantur. Ex virtute autem ipsorum, scilicet elementorum fundamentalium (1), constituit corpus nostrum : nec privavit ea motibus suis, neque dedit corpori nostro ex eis efformatum requiem a labore, sed dedit elementis quae sunt in nobis definitum tempus requiei donec per dissolutionem vitae redirent ad congenera sua priora. Adamo enim sic loquutus est : *In sudore vultus tui manducabis panem*. Quousque ? — *Donec revertaris in terram ex qua sumptus es et quidem coles terram et illa germinet tibi spinas et tribulos* (2). Hoc est mysterium mundi, nam labor est mundus iste quantum durat. Dominus autem in hac nocte qua sudavit mutavit sudorem laboris in terra producenti spinas et tribulos in sudorem orationis effecitque ut simul insudaret (homo) in labore justitiae. Quinque enim millia (3) annorum reliquit eum hic laborare eo quod nondum propalata esset via Sanctorum (4), scilicet juxta Apostolum (5); venit autem per gratiam suam in fine dierum, praecipiens libero nostro arbitrio (6) ut per sudorum mutaret

(1) Intellige quatuor elementa veterum : ignem, aera, aquam et terram: quae etiam vocantur ܡܬܩܢܢܐ ܕܟܠ (Bar Alii Lex.)

(2) Gen. III, 19, 18.

(3) Juxta chronologiam LXX interpretum.

(4) *Sanctorum*, i. e. Christi, Sancti Sanctorum.

(5) Heb. IX, 8. Recitatur juxta versionem Peschittha.

(6) ܚܐܪܘܬܐ optime vertit Graec. αὐτεξούσιον.

ܠܓܘܠܬܗ̇ ܕܓܘܠܬܐ ܡܢ ܕܠܦܪܕܝܣ . ܘܠܗ[14] ܠܡܦܠܚܗ̇ ܠܐ ܕܝܢ :
ܫܘܠܛܢܐ ܗܘ ܓܝܪ[15] ܝܗܒ ܠܗ̇ ܕܢܦܫ ܒܟܠܡܝܢ . ܡܛܠ ܠܝܗܪܘܬ
ܠܐܬܐ ܕܒܐܪܥܐ : ܐܦ ܢܦܠܐ ܕܡܢ ܩܕܝܡ ܕܢܬܚܙܐ ܒܗܕܐ . ܐܢܫܐ
ܕܟܘܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܠܡܫܝܚܐ . ܕܐܬܚܘܝ ܡܫܝܚܐ ܕܩܕܝܡ ܗܕܐ .
ܘܦܘܠܚܢܐ ܕܡܫܝܚܘܬܐ ܐܪܥܐ . ܗܝ ܕܡܫܡܫܢܐ ܒܟܘܠܐ ܐܝܟ ܕܢܠܗ̇ :
ܒܡܐܪܐ ܟܘܠܐ ܐܠܗ̇ ܚܟܡܐ . ܕܡܢ ܐܪܥܐ ܕܦܘܩܕܢܐ ܡܟܝܢ ܒܝ .
ܒܡܢܐ ܕܐܬܓܠܝܬܗ ܕܐܪܙܐ ܕܡܫܝܚܢܝܢ . ܐܢܫܐ ܕܐܦ ܠܚܫܘܗܝ :
ܠܗܝ ܠܗ̇ ܠܐܪܥܐ ܕܢܦܠܐ ܡܢ ܕܫܘܠܛܐ : ܡܫܘܠܛܐ ܓܝܪ ܐܝܟ
ܒܢܝܢܗ̇[16] . ܒܪܬ ܢܦܠܗ̇ ܗܝ ܐܪܥܐ ܕܦܓܪܐ[17] ܕܡܢܝ . ܐܝܟ ܫܘܕܥܬܗ
ܕܠܗܘܢ ܕܠܘܬܝ . ܐܪܥܐ ܠܟܠ ܕܡܢܝܢܗ̇ ܐܬܝܫܒܬ : ܘܗܝ[18] ܡܢܝ
ܡܫܘܠܛܐ ܒܟܘܠܐ . ܗܕܐ ܕܡܢ ܡܫܠܡܬܐ ܚܝܐ ❖

ܐܝܟ ܡܢܝ ܒܡܫܠܡܝܘܬ ܒܐܪܥܐ ܗܘܐ ܠܗ ܬܘܕܝܬ[19] ܒܡܠܟܗܘܢ
ܕܟܢܫܐ ܕܡܕܒܪܢܘܬܗ . ܫܘܠܛܐ ܓܝܪ ܠܬܚܘܬ ܚܝܠܝܢ ܕܫܘܠܛܬܐ
ܠܐ ܢܚܬ ܡܢ ܦܘܠܚܢܐ ܘܠܐ ܡܢ ܬܘܪܐ . ܕܐܝܬܘܗ̇ ܦܠܐܬܐ ܕܚܠܬܗܘܢ
ܚܝܝܢ . ܐܪܐ ܗܘ ܕܦܘܠܚܢܐ . ܠܡܒܥܐ ܕܡܢ ܠܐ ܐܦܩܗ ܐܠܐ ܐܦ
ܒܦܩܪܐ : ܐܝܟܐ ܐܠܗ̇ ܗܠܝܢ ܕܐܬܪܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘ ܡܒܥܬܐ ܒܟܠܡܕܡ
ܗܢܐ . ܗܢܘ[20] ܕܝܢ[20] ܢܘܚܐ ܕܡܢ ܚܝܐ ❖

Cod. 14633 : 14. ܠܗ — 15. Omit. ; graeca translatio habet : κατέλιπε τὸν ἀδὰμ μοχθῆσαι ἐν αὐτῇ˙ διότι κ. τ. λ. legendum forsan : ܫܒܩܗ ܗܘܐ ܕܢܦܠܘܚ — 16. ܒܢܝܢܐ — 17. Omit. — 18. ܗܝ — 19. ܒܡܫܠܡܝܘܬ ܬܘܕܝܬ ܠܗ ܗܘܐ ܒܐܪܥܐ . Hanc lect. confirmat gr. ἐν τῷ μυστηρίῳ. — 20. Omit.

sudorem suum omnino ; neque quiescere jussit. Hujusmodi namque ei commutationem indicavit quia misertus est nostri propter diuturnitatem laboris nostri in terra (1). Si cessemus autem insudare in hac (operatione orationis) necesse est nos metere spinas : quia cessatio ab ea est opus elementi terreni corporis quod producit spinas juxta naturam suam. Revera spinae sunt passiones quae, ex semine quod est in corpore, germinant in nobis. Quamdiu imaginem Adami feramus, necesse est etiam ejus passiones ferre. Impossibile est terrae ut cesset eas producere : producit enim secundum propriam naturam. Terra quippe ejusdem substantiae est ac corpus nostrum, juxta testimonium Dei nobis : *terra ex qua sumptus es* (2). Illa quidem producit spinas, haec autem rationalis passiones (3). Quod si Dominus, qui perfecte in terra fuit nobis typus in omnibus circumstantiis suae conversationis, usque ad horam nonam feriae sextae non destitit a labore et a poena, quia est allegoria totius vitae nostrae hoc mysterium laboris, sabbathum vero non accepit nisi in sepulchro : ubi sunt qui dicant in hoc mundo esse sabbatum, id est, requiem a passionibus ?

(1) Sensus videtur esse : Christum per merita suae passionis et per suam doctrinam in nostra potestate quidem tradidisse ut convertemur labores nostros infructuosos in opera meritoria : non vero nos plane liberasse ab onere laborum et poenarum in hac vita.

(2) Gen. III, 6.

(3) Doctrinam Isaaci de passionibus colligere licet maxime e sermone III qui fere integer circa hanc materiam versatur. Nomen ܚ̈ܫܐ accipit eo sensu quo apud Scholasticos *passiones*, vel apud Aristotelem πάθη audiunt; nempe pro quibuscumque quae alicui rei accidunt praeter tamen ejus essentiam. Incipit quaerens de subjecto passionum : an ex animae vel corporis natura proveniant ? Quam quaestionem ut solvat diffuse sed nec clare nec semper logice disserit de unione animae cum corpore eorumque mutuo influxu. — Variis ex loquutionibus et etiam ex modo argumenta proponendi, conjicere licet Isaacum neoplationicis doctrinis, qua-

ܟܠܐ ܚܪܒܫܬܐ ܕܐܝܟ ܪܒܐ ܗܘ ܠܡܬܐܡܪܘ܃ ܚܒܫܬܐ ܕܐܝܠܝܢ
ܡܘܬܐ ܗܘ ܕܩܒܪܐ . ܚܝܬܝܬܐܝܬ ܠܥܠ ܡܫܬܒܚ ܒܗܠܝܢ : ܡܟܝܠ
ܒܡܠܐ א ܕܡܘܡܬܐ ܐܘܟܠܐ ܗܘܐ ܠܡܠܟܘܬ̈ܐ ܒܒ̈ܬܐ ܡܠܟܗ ܘܠܡܠܟܘܬ
ܐܟܙܐ ܗܘ ܟܝ . ܘܠܘܩܒܠ ܡܢܝܢ ܠܡܥܠܢܘܬ ܒܥܠܝܡܘܬܐ ܒܓܒܪܝܘܬ[21]
ܡܟܝܠ . ܠܐ ܕܝܢ ܠܡܥܒܪ ܕܚܝܬܐ[22] : ܘܐܦ ܗܟܢ ܕܐܢ ܡܟܝܠ ܠܗ ܐܢܫܐ
ܬܬܚܫܒ ܠܟܠ ܗܘܐ . ܫܠܡ ܡܟܝܠ ܘܡܟܝܠ ܐܢܫܐ ܐܦ̈ܘܗܝ . ܘܠܐܢܫ
ܚܠܡ . ܘܠܡܠܟܘܬܗ ܕܡܢ ܒܗܘ ܠܒܝ ܐܝܟ ܕܠܐ ܐܝܬܘܗܝ . ܡܟܝܠ
ܒܠܡܘܬ ܫܠܝܡܐ ܐܝܟ ܕܠܡܟܝܠܗ . ܒܒܝܬܐ ܕܢܦܠ ܗܢܐ ܚܝܬܝܘܬܐ
ܕܗܠܝܢ ܡܟܝܠܐ ✣

א . ܠܘܩܒܠ ✣ ܗܘ ܕܐܟܠܐ ܠܥܠܡܘܬܐ ܡܬܚܙܐ . ܗܘܐ ܟܝܡܐ ܠܐܢܫܐ
ܡܬܚܡܠܢܐ . ܡܢ ܚܘܬܐ ܘܠܗܘ ܡܠܟܘܬܐ ܒܠܐ ܟܘܬܐ ܘܒܠܐ ܕܠܐ ܗܘܝܐ ✣

✣ ܫܠܡ ✣

Cod. 14633 : 21. ܟܝ ܗܘ ܐܟܙܐ ܡܟܝܠܗ ܒܒ̈ܬܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܒܠܡܘܬ ܡܟܝܠ
ܒܡܠܐ ܕܡܘܡܬܐ ܐܘܟܠܐ . ܡܟܝܠ ܠܡܥܠܢܘܬ ܒܥܠܝܡܘܬܐ ܡܢܝܢ ܒܓܒܪܝܘܬ . . .
— 22. Forsan restituendum fuisset ܠܕܚܝܬܐ ; forma tamen ܕܚܝܬܐ in lingua Neo-syriaca exstat.

De dominica autem nimium est dicere. Sabbatum nostrum dies est sepulchri. Perfecte ibi sabbatizat natura nostra ; itaque quamdiu (*a*) subsistit haec terra ab ea spinas quotidie extirpare necesse nobis est.. Obtinetur quidem ex labore continuo paucitas spinarum non vero perfecta purgatio ; ac proinde si paulisper remissus fueris in hac (operatione) crescunt spinae, operiunt faciem (terrae), semen tuum suffocant tuumque laborem jam reddunt inanem. Itaque quotidie indiget terra nostra emundari. Mora in hoc (labore) copiam spinarum auget (1).

a) Elucidatio. — *Quod terra certamen praebeat hoc usque ad purificationem* (?) *perdurat, ex purificatione et deinceps victoria sine impedimento et corona sine labore* (2).

FINIS.

rum influxus ex schola alexandrina in varia Aegypti monasteria diffusus fuerat, nimium concessisse.

(1) Graecus hanc addit conclusionem : ὧν (ἀκανθῶν) καθαρίσθημεν χάριτι τοῦ ὁμοουσίου καὶ ὁμογενοῦς υἱοῦ· ᾧ ἡ δόξα σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρί καὶ τῷ ζωοποιῷ πνευματί νυν καὶ ἀει καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

(2) En specimen commentarii hic illic in cod. 14633 a scriba appositi. — Sensus hujus notulae satis obscurus est diversimode intelligi potest prout voci ܫܘܒܐ una alterave ex ejus significationibus subjicitur. Quam sibi magis arridet quisque eligat.

MONITUM.

Quot et quantas molestias in hac excudenda Dissertatione passus sim vix excogitare potes, Lector Benevole. Utinam foret ab omni sphalmate immunis ! Sed non ita. Quaedam leviora aciem oculorum effugerunt ; plura vero imponenda sunt imperitiae typothetae qui antequam meum opusculum prelo committere aggrederetur nunquam vel a longe typos syriacos adspexerat. Hinc licet singulum folium iterum atque iterum sub prelo repositum fuerit, quam optabam perfectionem obtinere nequivi, atque ut opportuno tempore parata sit Dissertatio, correctionibus finem facere aegre coactus sum. Hic illic formam litterae syriacae mediam pro initiali vel vicissim reperies. Punctum diacriticum haud semel deficit aut loco non suo jacet : supernum quandoque infra lineam descendit vel infernum supra ascendit. Littera quaedam vicinae locum usurpavit, raro etiam penitus evanuit. Interpunctionis signa non semper apte fuerunt apposita. Haec et similia ex subjecta interpretatione latina facile agnosces atque corriges.

Quod autem libellum tam vili charta impressum tibi offeram noli mihi imputare sed typographo qui neque hac in re pactas condiciones servavit.

A.

EJUSDEM AUCTORIS:

(sub prelo)

LA LÉGENDE DE MAR BASSUS

MARTYR PERSAN

SUIVIE DE L'HISTOIRE DE LA FONDATION DE SON COUVENT A APAMÉE

d'après un msc. inédit de la Bibl. Nationale.

Texte syriaque et traduction française.

Mox prodibit

DIONYSII TELMAHARENSIS

CHRONICI

PARS QUARTA

Textus syriacus latinitate donatus notisque philologicis et historicis illustratus.